



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio Vltima. Vtrùm numerus sit species quantitatis propriè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

& vnumquodque illorum ratione propria limitationis, & finitudinis non participat perfecte eminentiam illius generis contentam in Deo; ergo quantitas, quæ etiā est finita, sicut limitata, & imperfecta, imo imperfectior substantia, & qualitate poterit à fortiori multiplicari specie, sicut de facto asseritur à multis factum esse, qui asserunt corpora cœlestia, & sublunaria, quatenus corpora quantia sunt distingui essentialiter, in quorum sententia corpus vt sic est genus ad corpora cœlestia, & sublunaria, quod secundum propria principia nullam habet difficultatem.



QVÆSTIO VLTIMA.

Virum Numerus sit species quantitatis proprie?

SECTIO I.

Sententia adversaria proponitur.

PRIMA sententia asserit quantitatem discretam, v.g. numerum esse vere, & proprie speciem quantitatis; est communis sententia Thomistarum.

70 Probatum primo auctoritate, Aristotelis qui in principio huius capitis divisit quantitatem in continuam, & discretam, quam divisionem etiam fecit quinto metaphysica, & vbi eumque de quantitate loquitur: ergo Aristoteles sentit quantitatem discretam esse veram, & propriam speciem quantitatis; unde sine dubio videtur sentire talem divisionem quantitatis vt sic esse generis in species, siquidem ex illa fecit coordinationem prædicamentalem in prædicamento quantitatis, & ideo hic prius præmittit descriptionem quantitatis in communem, quam sentit æque convenire continuæ, ac discretæ; imo proprietates, quas assignat quantitati æque convenire sentit discretæ, ac continuæ, vt esse æqualem, vel inæqualem, esse finitam vel infinitam, & esse mensuram, imo hæc ultima prius convenire censetur quantitati discretæ quam continuæ ex sententia Aristotelis 10. *Metaphysica in principio*: ergo.

72 Secundo probatur ratione P. Rubij qn. 6. huius prædicamenti. sublato numero seu quantitate discretæ ab isto prædicamento totum omnino destruitur prædicamentum: sed hoc est absurdum contra omnes Doctores; ergo numerus ponitur in hoc prædicamento tanquam verum ens per se: probatur maior ablata quantitate discretæ non manet supremum genus huius prædicamenti; ergo destruitur totum; probatur antecedens sublato numero ab isto prædicamento est etiam necessario auferenda oratio propter eandem rationem, quia non minus esset ens per accidens oratio quā numerus, & per consequens tota quantitas discretæ tolleretur ab isto prædicamento, & remaneret sola quantitas continua: sed quantitas continua non potest esse supremum genus: ergo sublato numero non potest esse genus supremum. Probatum minor, genus supremum dicitur tale per ordinem ad intermedium, quia necessario debet dividi per oppositas differentias subalternas, sed quantitas continua non habet species subalternas per

quas dividatur: ergo non est genus supremum; ergo non datur prædicamentum quantitatis; patet consequentia, prædicamentum est coordinatio prædicamentorum essentialium à genere supremo per intermedia genera vsque ad individuum, sed si non datur genus supremum non datur talis coordinatio: ergo, &c.

Tertio probatur ratione, quia vna scientia ver. 73 satur circa obiectum per se vnum à quo accipit suam unitatem: sed Arithmetica, quæ est vna scientia per se, agit de numero. vt de obiecto proprio; ergo numerus est ens per se quantitativum, & sic erit propria species quantitatis.

Quarto, vbi datur vnum per modum actus, & 74 alterum per modum potentie, ibi est vnum per se: sed in numero vltima unitas se habet per modum actus, & reliquæ gerunt vicem potentie; ergo numerus est vnum ens per se.

Quinto, numerus, & corpus, quantitas continua, & discreta vnivoce, & genericè conveniunt in essentiali ratione quantitatis: ergo quantitas vt sic est supremum genus huius prædicamenti, quatenus abstrahit à continua, & discreta; ergo numerus ponitur in hoc prædicamento per se probatur antecedens, quæ sunt distincta intrinsece, essentialiter, & conveniunt intrinsece in ratione communi sine dependentia; & transcendencia conveniunt vnivoce, & genericè: sed ita se habent quantitas continua, & discreta; ergo.

Confirmatur, hæc est vera, & formalis prædicatio, numerus est quantitas, sicut hæc corpus est quantitas; ergo quantitas est genus ad continuum, & discretam.

Sexto, numerus habet passiones, & proprietates determinatas; ergo habet essentiam per se; antecedens est certum, quia numerus est par, & impar, & est divisibilis in partes æquales vel inæquales, quæ sunt proprietates numeri: consequentia probatur, determinatæ proprietates petunt vnam, & determinatam essentiam; ergo numerus habet vnam, & determinatam essentiam per se.

Vltimo, si essentialis ratio quantitatis consideretur, quæ est habere extensionem, quæ vna pars est extra aliam propriissime convenit quantitati discretæ, cum unitates quantitativæ ita comparentur, vt vna ex necessitate extra aliam existat.

SECTIO II.

Nostri sententia ponitur, & probatur.

Prima conclusio: numerus seu quantitas discretæ non est ens per se realiter; sic melioris notæ gravioresque Doctores, videatur P. Suarez, &c. probatur.

Primo ex Aristotele 3. *Physicorum*, cap. 7. vbi dicitur, & cet. numerum esse plures aliquotvè unitates, & similiter 3. *metaphysica*, cap. 9. text. 20. dicit numerum esse multa vna, & lib. 8. cap. 3. text. 10. ait, aut numerus vnum non est, sed velut cumulus, aut si sit dicendum est quidnam illud sit, quod efficit vnum ex multis; & 10. *metaphysica*, cap. 3. sic ait numerum esse multitudinem unitatum; & 2. *de anima*, cap. 6. expresse docet numerum esse accensum quantitatis, sed cumulus, & multitudo, & accensus non est ens per se à parte rei, sed ens per accidens; ergo ex sententia Aristotelis quantitas discretæ seu numerus non est ens per se, sed per accidens à parte rei; & ideo locis supra nuper citatis non

merum, seu quantitatem discretam vocat simpliciter plura, & multa, ad denotandum numerum non habere unitatem per se, sed per accidens.

81 Favet etiam huic sententiæ Averroës 3. *physicorum* tex. 68. dicens numerum esse accivum unitatum, & multitudinem sine propria unione.

82 Secundo ratione sic probatur, quia vel numerus est unum ens per se simplex, vel est compositum: sed neque est unum ens per se simplex, neque unum ens per se compositum; ergo, nullo modo est ens per se; maior est evidens, quia omne ens per se adequate dividitur in ens incompositum vel simplex, & in ens compositum, quod admittitur ab adversariis, & patet evidenter à sufficienti enumeratione unitatum per se; probatur minor, & quantum ad primam partem est evidens, nam illud quod est simplex, & incompositum omnino caret partibus ut punctum, & Angelus, quæ ideo sunt entia simplicia, quia primum in genere quantitatis, & secundus in genere substantiæ nullas partes habent; sed numerus ternarius, v.g. habet partes, nempe tres unitates realiter distinctas; ergo numerus ternarius, seu quantitas discreta non est unum ens per se.

83 Quoad secundam partem sic demonstratur, implicat quod datur unum compositum per se sine compositione, & unione: sed numerus ternarius non habet unionem, nec compositionem; ergo non est unum compositum; minor est certa, quia numerus ternarius est quantitas discreta, de cuius ratione secundum Aristotelem est, quod eius partes non videntur termino aliquo communi, terminus autem communis est unio. Deinde patet ex ipsa experientia; nam quantitas discreta fit ex divisione continui: sed divisio continui est negatio unionis: ergo quantitas discreta dicit negationem unionis: ergo non dicit unionem; patet consequentia; quod dicit negationem unius formæ, vel quasi formæ non potest dicere talem formam simul: sed quantitas discreta dicit negationem unionis: ergo non potest dicere simul unionem.

84 Illa maior sic probatur, videlicet quod omne compositum dicat unionem, quia ratio formalis constitutiva compositi in quantum compositum est, est compositio, sicut ratio formalis albi est albedo: sed unumquodque dicit, & habet rationem formalem per quam constituitur; ergo compositum dicit, & habet compositionem: sed compositio ut compositio est unio: ergo omne compositum dicit unionem: & ratio huius est, quia compositum de quo loquimur, quatenus compositum est unum per se: sed omne unum per se debet dicere aliquam unitatem per se, atqui illam unitatem per se non potest habere à partibus ut partes sunt præcise, quia partes ut partes præcise sunt plura, & multa sine aliqua unitate, & plura ut plura non possunt dare unitatem, quia nemo dat quod non habet; ergo unum compositum per se habet ab alio unitatem: sed non est excogitabile aliud præter unionem; ergo necessario est danda aliqua unio à qua rationem unius habet compositum.

85 Dices esse unum unitate numeri, & ordinis, non vero unum unitate continua; unitas autem ordinis in hoc consistit quod una unitas sit numerabilis post aliam, ut secunda post primam, & tertia post secundam.

86 Sed contra primo, quia non sufficit unitas or-

dinis ut aliquid sit absolute ens per se ponibile in prædicamento; ergo falsa est solutio; probatur antecedens, exercitus, & Respublica habent unitatem ordinis, sed exercitus, & Respublica non sunt unum ens per se possibile in prædicamento; ergo unitas ordinis non sufficit ut aliquid sit unum ens per se ponibile in prædicamento; maior est evidens, nam ideo numerus secundum adversarios est unum ens per se unitate ordinis, quia est obiectum per se alicuius scientiæ: sed exercitus, & Respublica sunt obiectum per se scientiarum, nempe militaris, & politicæ: ergo habent unitatem ordinis; minor etiam est evidens modo videri, scilicet quod exercitus, & Respublica non sint ens per se ponibile in aliquo prædicamento, vel assignent adversarij in quo prædicamento, non enim in prædicamento quantitatis, quia non ponitur sub quantitate continua Respublica, v.g. ut de se patet, nec sub quantitate discreta, quia non ponitur sub numero præcise, quia exercitus, & Respublica non solum petunt numerabilitatem hominum: sed etiam talem, & talem proportionem, ita ut datur quasi unum caput quod influat moraliter in reliquis partes talis exercitus, & Respublicæ gubernando illas; item petit varia quasi ministeria, quibus occupentur cætera membra talis exercitus, & Respublicæ. Itaque Respublica, & exercitus sunt quasi quedam corpora artificialia, seu moralia varijs partibus moraliter exornata, & tali ordine constantia, sine quo neque esse neque excogitari possunt: sed numerus non habet talem ordinem, & dispositionem: ergo exercitus, & Respublica non ponuntur sub numero, neque etiam possunt poni sub oratione ut de se patet. Et præterea non est dabilis alia quantitas discreta in sententiâ adversariorum; item Respublica non ponitur in prædicamento substantiæ, alias etiam substantia divideretur in continuam, & discretam quod est absurdum: ergo.

Contra secundo, numerus habet unitatem à 27 numerabilitate per vos: sed numerabilitas non potest dare unitatem simpliciter numero: ergo, &c. maior est sententiâ adversariorum, nam in hoc distinguitur cumulus à numero, quod numerus dicit numerabilitatem quam non dicit cumulus lapidum formaliter, quia realiter illam dicit, cum numerabilitas non distinguatur realiter ab ipsis lapidibus, quia præcise, vel re, vel per rationem quocumque realiter distincto ab ipsis unitatibus, unitates sunt numerabiles: ergo numerabilitas non distinguitur realiter ab ipsis unitatibus lapidum, v.g.

Ergo numerus tantum distinguitur à cumulo, 88 quod cumulus non dicit formaliter numerabilitatem, quam dicit numerus; ergo totam unitatem per se habet numerus à numerabilitate: sed non potest habere illam à numerabilitate: ergo, &c. Probatur minor, & sumo numerum ternarium; illud quod non est unum simpliciter non potest dare unitatem alteri formaliter: sed numerabilitas numeri ternarii non est unum simpliciter, sed potius est plura simpliciter: ergo non potest dare unitatem simpliciter: maior est clara, quia nemo dat quod non habet, sicut albedo, v.g. non potest constituere nigrum, quia omnis forma debet præhabere effectum quem confert saltem ut quo, vel saltem ut forma superioris ordinis: minor præcipua non est minus certa. Primo, quia quælibet unitas habet distinctam numerabilitatem, nam distincta est numerabilitas quæ datur

in Petro, à numerabilitate quæ datur in Ioanne, quia numerabilitas Petri non distinguitur realiter ab eius quantitate, & numerabilitas Ioannis à quantitate ipsius, sed quantitas Ioannis distinguitur realiter à quantitate Petri: ergo numerabilitates illorum distinguuntur realiter; ergo numerabilitates non sunt vnum simpliciter, sed plura. Pater hæc consequentia, quia quantitates sunt plures ex eo quod non habent aliquam vnionem; ergo etiam numerabilitates non habent vnionem aliquam, & erunt plures realiter; pater hæc consequentia, quia idem non potest esse simul à parte rei plures, & vnum, habere vnionem, & non habere illam, sed numerabilitates sunt idem quod quantitates: ergo si quantitates non sunt vnum, sed plura, nec habent vnionem aliquam, etiam numerabilitates non erunt vnum sed plura, nec habebunt vnionem aliquam. Secundo quantitas Petri convenit realiter cum quantitate Ioannis in numerabilitate: sed illa, quæ conveniunt realiter in aliqua ratione, distinguuntur realiter in illa ut supra contra Scotum probavimus, quia omnis convenientia realis fundat realationem realem; ergo illæ numerabilitates distinguuntur realiter; ergo in ratione numerabilitatis non sunt vnum simpliciter sed plura: ergo ratio numerabilitatis non dat vnitatem numero.

89 Tercio efficacius contra eandem solutionem argumentor labefactando vnitatem ordinis numeri, quia à parte rei nullus ordo datur inter quantitates, sed solum fingitur per intellectum talis ordo; ergo à parte rei non sunt vnum illæ quantitates vnitate ordinis: consequentia est manifesta, quia vbi non est ratio formalis non est effectus formalis, ut v.g. à parte rei equus, & homo non sunt vnum, sed solum fictitæ, & chymice per intellectum, quia nulla vnio datur à parte rei inter hominem, & equum, sed solum chymice per intellectum; ergo si inter quantitates nullus datur ordo à parte rei, quæ dicitur vnitas numeri inter illas quantitates, illæ quantitates non erunt vnum in ratione ordinis, sed solum erunt vnum per intellectum; antecedens illud sic probatur, quia ordo in aliquibus dicitur rationem prioris, & posterioris inter illa, sed à parte rei nulla quantitas de se est prior aut posterior determinate, sed quæcunque potest denominari prior, vel posterior est ab intellectu, & mera voluntate hominis, sine eo quod detur à parte rei aliquod fundamentum in illis ut hæc potius quam illa sit prior ut latissime probabitur ratione *sequenti sub Elione* ponenda; ergo à parte rei inter illas quantitates nulla est ratio ordinis: Maior hæc est evidens; nam ideo inter divinas personas datur ordo à parte rei, quia vna est determinate prior, & alia determinate posterior; unde si à parte rei non daretur hæc ratio prioris, & posterioris, non daretur à parte rei inter illas ordo, quod etiam patet in Republica, vbi datur ordo moralis, & per rationem, quia datur ratio prioris, & posterioris moralis; ergo.

92 Dices numerum esse vnum ens per se metaphysice non physice vnitate compositionis resultante ex vnione generis cum differentia.

Sed contra est, quia imprimis sequitur numerum non habere vnitatem realem, & per se à parte rei, sed solum per rationem, quia sicut compositio metaphysica generis, & differentia est solum per rationem, ita etiam vnitas talis compositionis erit solum per rationem, & non realis.

93 Secundo sequitur numerum nec physice, nec

metaphysice esse vnum per se, ex eo quod vnitas per se metaphysica desumitur ut à fundamento ab vnitate per se physica, simplici, vel composita, ut videre est in homine, & in Angelo, in quibus datur per se vnitas metaphysica, quia datur per se vnitas physica simplex in Angelo, & composita in homine; contra vero ideo in acervo lapidum nulla datur vnitas per se metaphysica generis, & differentia, quia nulla datur per se vnitas physica simplicitatis, aut compositionis; sed numerus physice non habet vnitatem per se simplicem vel compositam; ergo nullam habet vnitatem per se metaphysicam.

SUBSECTIO II.

Vbi secundaratio proponitur.

Omne ens per se habet esse determinatum⁹⁴ an formaliter, quam materialiter, per quod determinate distinguatur à quolibet alio: sed numerus non habet esse determinatum formaliter: ergo numerus non est ens per se maior evidens est, omne ens per se creatum habet finitum, & determinatum esse; sed omne esse determinatum provenit ab aliquo determinato distinctivo formaliter, quia omne limitatum esse distinguatur ab alio esse limitato, vel illimitato per id per quod constituitur determinate in esse talis, ut v.g. homo habet aliquod esse per quod distinguatur ab equo formaliter, nam metaphysice habet rationalitatem, physice animam rationalem per quam distinguatur ab equo: ratio autem à priori est, quia omne finitum seu limitatum clauditur terminis, & finitur limitibus: sed id quod clauditur terminis est determinatum, seu terminatum formaliter per quod non est aliud, seu distinguatur ab alio; ergo omne ens per se finitum habet esse determinatum formaliter; item habet determinatam materiam, in hoc quod talis materia non possit esse forma, & in hoc, quod materia vnus, actu non est materia alterius, sed distincta à materia illius; ergo tam materialiter, quam formaliter habet esse determinatum.

Minor illa in qua est tota difficultas sic probatur; quia illud est esse determinatum formaliter quod constituitur ab aliquo habente esse per modum formæ determinatæ: sed nulla vnitas à quibus constituitur habet determinatam, seu determinatum esse formæ: ergo non habet esse determinatum formaliter: maior est evidens, quia omne constitutum determinatum formaliter est forma, & illud quod est determinabile est per modum materiæ, quia omne constitutum formaliter determinatum in esse talis est per modum actus: sed actus est forma; ergo omne constitutum formaliter habet esse formæ, ut videre est in homine, equo, &c. quod libenter admittitur ab adversariis; minor sic probatur, primo, quia illa vnitas habet esse formæ inter vnitates, quæ est prima; sed illa se habet ut materia quæ est prima; sed nulla illarum est determinate prima, neque ultima ex se; ergo nulla vnitas est forma, aut materia numeri. Minor hæc sic demonstratur, in tertio v.g. confecto ex tribus partibus aquæ, in quibus neque à priori neque à posteriori potest colligi signum, quod cogat vel moveat rationabiliter dicere hanc esse perfectiorem illa, vel illam imperfectiorem hac, quia omnes sunt homogeneæ entitates,

entitates, ac proinde nullam diversitatem maioris vel minoris perfectionis habent, alias partes aque non essent homogeneæ; sed heterogeneæ, vt ex terminis patet: sed vltima quæ est forma necessario debet esse perfectior materia; & inter formas, & materiam debet dari diversitas, aut heterogeneitas actus, & potentia; ergo si inter tres illas partes aquæ nulla est determinate perfectior altera, aut diuersæ rationis respectu alterius: sed omnes sunt eiusdem omnino rationis, nulla erit determinate forma, aut materia vltima vel prima.

Confirmatur, quia vnaquæque vnitas est indifferens vt componat quemcumque numerum: sed omne illud quod est indifferens ad varias species compositi non est forma: sed potius materia; ergo nulla vnitas est forma, neque seorsim sumpta neque simul cum alijs, quia tam simul, quam seorsim sumpta illæ vnitates sunt indifferentes vt componant quemcumque numerum; probatur maior, ideo materia prima non est forma in composito physico, quia est indifferens, vt in hoc, vel in illo composito sit, & indiget determinante vt potius pertineat ad hoc compositum, quam ad aliud: ergo nulla vnitas est forma numeri, quia non esset indifferens.

⁹⁶ Quod autem vltima ratio quæ se habet per modum formæ sit perfectior prima ratione, quæ se habet per modum materiæ est evidens; ideo enim rationale est perfectius animali, & differentia genere, quia rationale est vltimum per modum formæ in constitutione metaphysica, & genus seu animal se habet per modum primi. Item anima rationalis est perfectior materia prima physice, quia est vltimum per modum formæ in tali constitutione physica, & ratio manifesta est, quia id quod est vltimum constitutum actuatur, & determinat primum; ac proinde est actus respectu primi, & primum est potentiale respectu vltimi, quia est actuabile respectu illius: sed omnis actus est perfectior potentia illius; ergo omne vltimum per modum formæ est perfectius respectu primi, quod se habet per modum materiæ.

Præterea, quia vnum compositum est perfectius alio, & vnus numerus alio; sed non potest esse perfectius compositum propter primum quod se habet per modum materiæ, vt videre est in homine qui non est perfectior equo propter materiam primam, quæ est primum constitutum hominis, quia materia prima est eiusdem rationis in homine, & in equo, & eadem est indifferens ad vtrumque compositum, & sic homo est perfectior equo propter vltimum constitutum illius quod est forma; vnum enim non potest excedere aliud propter illud in quo sunt æqualia, aut conueniunt: sed potius propter illud in quo distinguuntur; ergo si in primo constitutivo per modum materiæ conueniunt, & sunt æqualia duo composita, & solum in vltimo per modum formæ distinguuntur, vltimum per modum formæ erit id per quod est perfectius altero aut non ita imperfectum vt illud, quod est distinguendum ab illo, quod non potest fieri nisi per modum, quia id quod constituit in esse perfectioris concretum, seu compositum debet esse perfectius constitutum: sed vltimum constitutum per modum formæ constituit compositum in esse

perfectioris altero, quod non potest facere primum constitutum per modum materiæ; ergo vltimum per modum formæ est perfectius primo per modum materiæ.

Secundo sic probatur illa minor, & sumamus ⁹⁷ tres numeros ternarios partium aquæ, in quibus necessaria danda sunt tres vnitates ab aduersarijs, quæ sint formæ determinatæ illorum numerorum. Separemus tres illas vnitates ab illis ternarijs, & coniungamus illas localiter inter se; nemo negabit ex illis fieri ternarium perfectum, cum ille habeat tres vnitates perfectæ numeratas ab intellectu, ex quibus tanquam ex partibus componitur, & nihilominus tres illæ vnitates erant formæ ex quibus constituebantur ternarij, & nulla illarum erat materia; ergo numerus non requirit necessario formam aut materiam certam, & determinatam, neque determinate vltimam, neque determinate primam vnitatem; siquidem ex illis tribus vnitatibus inter quas nulla est materia conficitur perfectus numerus, & idem potest fieri ex illis quæ assignantur vt materiæ, quia siue primas illas coniungamus, siue secundas tres, siue vltimas tres pro libito vniamus, semper fiet numerus perfectus ternarius: ergo nulla vnitas est determinate forma in numero, nec determinate vltima; siquidem quæ antea erat vltima nunc est prima, & quæ antea erat forma nunc est materia, & quæ antea erat materia nunc est forma.

Dices verum esse quod ex tribus illis vnitatibus, quæ antea erat forma, nunc sit materia, & contra, quæ antea erat materia, nunc sit forma, nihilominus non ideo posse dici nunc non esse formam in hoc numero determinate, siquidem vltimo aduenit in illo numero.

Sed contra primo manifeste, quia forma vnus ⁹⁹ compositi non potest esse forma alterius compositi specie distincti; sed quantitas A potest esse forma numeri ternarij: ergo non est forma numeri binarij; maior est certissima, quia forma semper eodem modo constituit compositum, nam ideo forma hominis non potest esse forma equi, quia constitueret equum; vnde equus esset equus, & homo; forma enim est vltimum constitutum rei, si enim non esset vltima, & determinata in ratione componentis esset, adhuc determinabilis per aliud de quo alio iterum rediret quæstio vtrum esset determinabile per aliud? & sic vt non detur processus in infinitum sistendum est in aliquo, quod non sit vltimè determinabile: sed hoc non est assignabile in numero binario composito ex duabus partibus aquæ; ergo, &c. minor præcipua non est minus certa, quia quantitas A, potest vltimo numerari in numero ternario; ergo in quantum vltimo numerabilis non potest esse forma numeri binarij; probatur antecedens in casu, v. g. quo Deus crearet duas partes aquæ D, & B, postea crearet partem A, quæ vltimo loco numeraretur; ergo illa vnitas A potest esse vltimo numerabilis in numero ternario: ergo potest esse forma numeri ternarij; patet vltima consequentia forma numeri secundum aduersarios est vltima vnitas: sed vnitas A potest esse vltima vnitas numeri ternarij; ergo potest esse forma numeri ternarij.

Sed contra secundo, quia id quod est forma ¹⁰⁰ alicuius compositi per se nullo modo potest esse materia alterius compositi, imo implicat hoc dici: sed vos dicitis vnitatem quæ erat forma ternarij

narij posse esse materiam numeri senarij; ergo non est vera forma, imo contradictionem in adiecto committitis, nam esse formam determinatam, & esse materiam est esse formam, & non esse formam; maior patet manifeste, nam in composito substantiali per se anima rationalis est forma, & quia talis est nullo modo potest esse materia alterius compositi, ita ut recipiat, v.g. formam equi, & componat equum. Item, quia albedo est forma albi non potest esse materia dulcis, quod adeo verum est, ut etiam in entibus artificialibus hoc verificetur, nam figura coronæ, aut vasis, v. g. ita est forma huius compositi, ut nullo modo per modum materiæ componat aliud specie distinctum; ergo quæ est forma determinata vnius entis per se non potest esse materia alterius specie distincti compositi.

102 Dices sub diversis rationibus posse eandem unitatem esse materiam, & formam, quatenus enim quæcumque unitas est apta ultimo determinare aliam est forma, quatenus vero ipsamet unitas est apta ut ultimo determinetur ab alia est materia, cumque unaquæque unitas possit determinare aliam, & determinari ab alia, in quavis unitate reperitur ratio ultimæ, & non ultimæ, ratio formæ, & materiæ.

103 Explicatur hoc exemplo desumpto à contractibus humanis, in quibus tametsi plures concurrant partes, illarum qualibet munus materiæ, & formæ exercere solet sub diversis rationibus, ut in contractu emptionis, & venditionis, ubi consensus ementis, & vendentis mutuo se determinant, quatenus est traditio rei propriæ respectu alterius acceptantis exequitur munus materiæ, quatenus vero idem consensus est acceptio rei alienæ exequitur munus formæ, & sic idem consensus potest esse consensus tradentis, & accipientis, & formæ, & materiæ, ita similiter in præfenti eadem unitas potest esse ultima, & prima, materiæ, & formæ.

104 Sed contra, & ut ab hoc exemplo incipiam, non probat intentum meo videri, nam contractus est ens per accidens, & artificialis; est enim dependens à voluntate reipublicæ, & sic Respublica alio modo posset constituere contractum; atque adeo non habet determinatam formam ex se, quod secus debet evenire in numero, quod est ens per se ex natura sua per formam determinatam ultimo, ut ipsi adversarij intendunt, & ideo ponitur in prædicamento sub quantitate ut sic, quæ est ens per se ex natura sua, artificialia autem, & moralia, aut moraliter composita, & quæ sunt entia per accidens nullo modo ponuntur in prædicamento sub ente per se ex natura sua, & ideo neque Monarchia, aut Aristocrasia, aut contractus, servitutes, & alia huiusmodi non ponuntur per se in linea prædicamentali, sicut nec domus, corona, &c. numerus autem est determinatum ens simpliciter per se, & ideo tam determinata forma dedit constitui in esse talis, & quatenus ponitur per se in prædicamento, ut quæ modo est forma non possit esse materia in ipso composito in qua semel est forma, quod evidenter patet annumerando omnia entia per se directe posita in prædicamento, quæ talis conditionis sunt, ut tali forma consentiant quæ in ipso composito non possit esse materia.

Quod adeo verum est, ut licet aliqua exceptio reperiat in hoc, quod res quæ est forma respe-

ctu vnius compositi non possit esse materia respectu alterius speciei, nihilominus nullus ens per se est, nec potest excogitari positum directe in prædicamento, quod tali forma consentiat, quæ possit etiam esse materia eiusdem compositi; ergo binarius v. g. si est ens simpliciter per se, & per se ac directe ponitur in prædicamento tam determinata forma debet constitui ut nullo modo possit esse materia eiusdem binarij, & talis forma debet esse ita ultima in binario, ut non possit esse prima in eodem binario; sed quæcumque unitas in binario potest esse ultima, & prima potest esse forma, & materia; ergo binarius non est ens per se, nec per se ponitur in prædicamento.

Hæc minor sic demonstratur, quia hæc unitas in tantum est ultima actualiter in binario, & non prima, ac proinde forma, & non materia in quantum numeratur ultima ab intellectu in binario, tum numeratur ultimo, seu ultimam, potest numerare primo, & primam, & quam nunc numerat primam in eodem binario numerare potest postea ultimam; ergo nulla illarum est determinata in binario ad esse formæ, & materiæ, ad esse primæ, & ultimæ in eodem, sicut v. g. nulli hominum determinatum est nomen *Franciscus*, quia ad libitum est ut tali, vel tali nomine vocetur; ac proinde qui modo vocatur *Franciscus* potest vocari *Paulus*, vel *Ioannes*, sed ad libitum hominis est ut hæc unitas numeretur prima, vel ultima sine aliqua determinatione ex parte sui; ergo nulla est determinata prima, vel ultima, forma vel materia.

Dices hoc debere intelligi de actu numerationis, non autem de numerabilitate, quia ex se unitas numerabilis est ultima, sicut enim v. g. licet ut actu ametur aliquid dependeat à voluntate amantis, & sit ad libitum illius, nihilominus quod res sit amabilis non est ad libitum amantis; ita similiter contingit in nostro casu.

Sed contra manifeste, quia adhuc secundum potentiam licet quæcumque sit ex se numerabilis ultima, nihilominus non est determinata ex se, ut solum ultima possit numerari, quia eadem unitas, quæ ex se est numerabilis ultima in binario, in eodem binario est numerabilis prima, ac proinde de facto sic numeratur, sicut in exemplo adducto ab adversarijs patet, nam licet obiectum sit amabile ex se à Petro, nihilominus non est ita determinate amabile, ut non possit non amari, aut odio haberi, sed potius est indifferens potentialiter, ut possit amari, & non amari, &c. ergo licet ultima unitas binarij ex se sit numerabilis ultima, nihilominus non est ex se solum, & determinate numerabilis ultima, sed potius est indifferens aptitudinaliter, ut prima, vel ultima numeretur, ita ut quæ nunc potest ultimo numerari possit & primo, & contra; ergo nulla est determinata forma nec determinate materia in numero binario, ac proinde numerus binarius non est ens per se ponibile in prædicamento, licet ali quo modo possit esse vnum eo modo quo est vnum, scilicet, aut per accidens, aut moraliter, & artificialiter contractus, quod est impertinens ad rem de qua loquimur; nam contractus hac ratione nullo modo ponitur in prædicamento, quia contractus per vos est mutus consensus tradentis, & acceptantis, mutus autem consensus dicit duplicem consensum non vnitum, consensus autem est qualitas, actio, & passio; ergo quæ qualitas

itates non vnitas efficiunt vnã discretam, sed non datur qualitas discreta, quæ sit ens per se possibile in prædicamento, quia solam quantitatem diuisit Aristoteles, & communis schola in continnam, & discretam; ergo.

108 Deinde, quia nullus vnquam dixit quod idem consensus sit materia, & forma eiusdem contractus, nam licet controvertatur inter Doctores, qui consensus sit forma an tradentis, an acceptantis: qui sunt distincti consensus, nihilominus, qui dicunt consensum acceptantis esse formam, non dicunt posse esse materiam eiusdem contractus, sed potius asserunt semper determinate esse formam, quia ex se vltimo aduenit supra consensum tradentis, semper enim acceptatio traditionem supponit, sicut v. g. licet dubitetur, quæ sit forma matrimonij, & alij asserant esse verba præcise, & alij consensus, nihilominus nullus dicit formam matrimonij posse esse materiam eiusdem, sed potius omnes conveniunt in hoc, quod id quod institutum est vt forma, ex vi talis institutionis posse esse materiam: sed semper esse determinate formam; Et ratio est, quia hæc entia moralia, sicut & artificialia imitantur naturalia: atqui in entibus naturalibus per se, quæ semel est forma vnus compositi non potest esse materia eiusdem compositi, vt videre est in omni ente naturali per se siue cœlesti, siue sublanari, siue mixto, siue elementari; ergo in entibus moralibus, & artificialibus, quæ semel est forma nunquam est materia: atqui in ternario, binario, & quaternario vltima vnitas potest esse prima, & quæ est prima nunc postea est vltima in eodem binario, &c. vt argumenta nostra convincunt, & ipsi aduersarij fatentur in sua solutione; ergo numerus non solum non est ita rigorosum, ac simpliciter ens per se, vt possit poni in prædicamento; sed quod magis est, nec habet eam vnitate, quam habent entia moralia, & artificialia, sed potius est absolute per accidens, ac simpliciter plura; vnde remanet argumentum in sua vi, nam in numero binario tam Petrus quam Paulus, v. g. sunt vltima quare aptitudinaliter; ergo non est maior ratio quare Petrus vel Paulus sit forma actualiter illius.

109 Secundo contra eandem solutionem sic argumentor, quia sequeretur solum Petrum, & Paulum constituere necessario, actualiter duos numeros binarios simul: sed duo numeri binarij simul hominum sunt quatuor homines vt de se patet; ergo solum Petrus, & Paulus essent quatuor homines: sed hoc est summum absurdum; ergo, &c. Probatur sequela, quocircumque dantur duæ formæ realiter distinctæ, & duæ materiæ realiter distinctæ, necessario dantur duo concreta realiter distincta: sed ex eo quod dantur Petrus, & Paulus in binario dantur duæ formæ realiter distinctæ, & etiam duæ materiæ realiter distinctæ; ergo dantur duo numeri binarij realiter distincti, quæ sunt duo concreta realiter distincta: maior est evidens lumine naturæ, nam ideo Petrus, & Paulus sunt duo quanta realiter distincta, quia dantur duo subiecta scilicet duo homines, & duæ formæ, scilicet duæ quantitates realiter distinctæ; probatur minor, & imprimis quod dantur duæ formæ realiter distinctæ: forma numeri est vltima vnitas aptitudinaliter: sed dantur duæ vnitates vltimæ aptitudinaliter; ergo dantur duæ formæ numeri realiter distinctæ; maior est sententia aduersariorum: probatur minor;

R. P. Ideph de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

in principijs ipsorum, quælibet vnitas potest vltimo loco numerari: sed omnis vnitas quæ potest vltimo loco numerari est aptitudinaliter vltima; ergo omnis vnitas est aptitudinaliter vltima; atqui Petrus, & Paulus sunt duæ vnitates realiter distinctæ, quæ possunt vltimo loco numerari; ergo sunt duæ vltimæ aptitudinaliter vnitates. Tunc sic Petrus, & Paulus distinguuntur realiter vt numerabiles; ergo sunt duæ vnitates aptitudinaliter vltimæ realiter distinctæ; ergo duæ formæ binarij realiter distinctæ.

Sed etiam dantur duæ materiæ numeri binarij realiter distinctæ; ergo, &c. Probatur antecedens; materia numeri est vnitas prima aptitudinaliter, id est, quæ potest primo loco numerari: sed tam Petrus, quam Paulus possunt primo loco numerari; ergo sunt materiæ numeri: sed sunt duæ materiæ realiter distinctæ; ergo ex eo quod dantur Petrus, & Paulus dantur duæ materiæ, & duæ formæ numeri binarij realiter distinctæ: ergo dantur duo concreta realiter distincta simul; ergo necessario dantur duo numeri binarij actualiter, & simul ex eo præcise quod dantur duæ vnitates realiter distinctæ.

Dices ad hoc vt sint duo numeri binarij necessarium esse vt simul sint duæ formæ, & duæ materiæ: atqui in numero binario Petri, & Pauli duorum solum hominum non dantur simul actus duæ formæ, & actus duæ materiæ, quia vt sint actus tales necesse est vt actus numerentur duæ vt primæ, & duæ, & vltimæ, quod nullus homo facit simul; siquidem quando Petrum numerat vt primum simul non numerat vltimum: ergo.

Sed contra primo, quia etiam si vnus solus homo non possit eandem vnitatem quando numerat vltimam simul numerare primam, & quando numerat primam simul numerare vltimam, nihilominus duo homines ita possunt numerare, vt simul cum vnus numerat vltimam, alius numeret primam, & quando hic numerat primam, simul alius eandem numeret vltimam; ergo in illo casu Petrus, & Paulus sunt simul formæ, & sunt simul materiæ; atqui Petrus, & Paulus sunt duo realiter distincti: ergo iam simul dantur duæ formæ, & duæ materiæ realiter distinctæ.

Contra secundo, quia antea dicebatis rationem formæ, & rationem materiæ non sumi ab actuali numeratione, quia hæc est ad libitum, & denominatione extrinseca, aut ens rationis: sed potius debere sumi à numerabilitate, seu ab aptitudine ad actualem numerationem: atqui nunc recurritis ad solvendum novum argumentum ad actualem numerationem; ergo nunc contradicitis solutioni quam antea dabatis, ac proinde nunc affirmando quod antea negabatis sine dubio palinodiam canitis; ergo ne hoc contingat, standum est numerabilitati.

Contra solutionem positam §. dices hoc debere sic argumentor. Tertio, numerus actualis petit formam actualem, & exercitam: sed ratio vltimæ vnitatis aptitudinaliter non est forma actualis, & exercita; ergo non constituit numerum actualem; maior est certissima, nam omne compositum actuale petit omnes partes actuales, & exercitas, & ideo nunc non datur compositum physicum actuale, quod sit Divus Petrus, quia non dantur omnia constitutiva eius actualia, & exercita, vnde licet animus Divi Petri, sit pars actualis, id est, actualiter existens, quia tamen

non est forma exercita, non componit, nec constituit actualiter Divum Petrum; ergo numerus actualis, quod est compositum actuale petit formam actualem, & exercitam.

115 Probatum minor, etiam quando non componit hic homo v.g. actualiter numerum, est ultima unitas aptitudinaliter; ergo ex eo quod sit aptitudinaliter ultima unitas non est forma exercita numeri. Antecedens est certum, quia etiam si hic homo non componat actualiter numerum habet aptitudinem, ut intellectus ultimo loco numeret illum, vel si non habet aptitudinem, sine dubio ultima numerabilitas distinguitur a quantitate, quia separatur ab illa quod intendimus, & adversarij negant. Probatum consequentia, forma exercita est, quae actu exercet munus formae, actualiter informando materiam, & componendo numerum; sed supponimus quod hic homo non componat actualiter numerum; ergo non est forma actualiter exercita numeri.

116 Dices esse actualiter exercitam, quando coniungitur cum alia unitate, scilicet quando Petrus est coniunctus cum Ioanne.

117 Sed contra primo, vel talis coniunctio est localis, vel intellectualis: sed utraque est denominatio extrinseca; ergo forma est exercita per aliquam denominationem extrinsecam; maior procedit a sufficiente enumeratione coniunctionis, quae possunt esse in duabus unitatibus discretis physice, id est, non unitis physice; vel dicant adversarij quidnam sit illa coniunctio; probatur minor, & imprimis de coniunctione per mentem concedunt adversarij; & ratio est manifesta, quia est extrinsecum, & per accidens, quod mens mea v.g. coniungat Petrum, & Paulum, quia talis coniunctio est cognitio representans Petrum, & Paulum ut unitos: sed cognitio mea taliter representans est omnino extrinseca respectu Petri, & Pauli; ergo talis coniunctio mentalis est omnino extrinseca respectu illorum.

118 De locali non est minus certum, & praeterea non est necessaria ad numerum, quia unitates omnino distantes possunt componere numerum actualiter, nam Rex Hispaniae, Rex Galliae, & Rex Angliae componunt actualiter numerum ternarium hominum, & Arithmeticus potest in illis efficere suas demonstrationes, scilicet quod sit divisibilis in partes inaequales, & quod sit aequalis alteri numero ternario, & inaequalis quaternario; ergo impertinens est coniunctio localis.

119 Contra secundo; ergo quando componit Petrus numerum ternarium cum Ioanne, & Paulo etiam componit binarium cum Ioanne simul; patet consequentia, quia ut componat numerum binarium, & sit forma exercita illius, solum requiritur quod coniungatur cum Ioanne; sed etiam quando coniungitur cum Paulo est coniunctus cum Ioanne; ergo habet quicquid est necessarium, ut componat actualiter numerum binarium, patet consequentia, habet rationem ultimae unitatis aptitudinaliter respectu Ioannis, & exercitium illius, quod est coniunctio actualis cum illo, sed ut sit

120 forma actualis numeri binarij, solum requiritur quod sit ultima unitas aptitudinaliter, & exercita, quod totum habet in casu posito; ergo quatenus est pars numeri ternarij constituit numerum binarium; ergo numerus binarius includitur in numero ternario specie distincto ab illo, ac proinde una species includitur in alia, quod est con-

tra Aristotelem, & contra omnes adversarios; alias numerus binarius esset quid incompletum.

Dices, ut Petrus sit forma numeri binarij, debet dicere negationem alterius unitatis.

Sed contra, quia unitas constitutiva formaliter numeri ut talis, est quid positivum, quia est quantitas; ergo non constituitur in ratione formae, & ultimae per negationem; probatur antecedens, numerus est quid positivum; ergo quantitas constitutiva illius est etiam quid positivum: antecedens est manifestum praecipue in sententia Adversariorum, quia omne quod ponitur per se in praedicamento est quid positivum: sed numerus ponitur per se in praedicamento: ergo forma talis numeri est quid positivum. Probatum consequentia, omne illud quod constituit aliquid positivum ens est positivum: sed ultima quantitas ut ultima est, constituit numerum positivum; ergo ultima quantitas ut ultima, est quid positivum: maior est certitudo constitutum participat naturam constituentis, & ideo implicat quod accedens constituat compositum substantiale; minor est sententia adversariorum, consequentia legitime inferitur.

Ubi advertit, quod illae quantitates discretae dicuntur entitates positivas quantitates, & etiam negationem divisionis in se per quam constituitur unaquaeque in esse vnius transcendentaliter, numerum autem primario constituitur, ut ipsi adversarij asserunt, quatenus sunt quantitates, & sic constituitur primario speciem quantitates ut sic quae est quantitas discreta, quae primario habet essentiam quantitates, & secundario habet suam unitatem ut attributum; ergo unaquaeque ut constituit, dicit rationem quantitates, & secundario unitatem, quia eo modo se habet constitutum, quo est constitutum per illud, sed constitutum, quantitas discreta scilicet primario est positiva entitas, species nimirum quantitates, & secundario dicit unitatem; ergo similiter unaquaeque quantitas primario dicit positivam rationem quantitates per quam constituit quantitatem, & secundario dicit unitatem transcendentalem in vestra sententia, cum illo ordine positivo numerabilitatis, ita ut ex quantitatibus positive ordinatis per numerabilitatem secundum rationem prioris, & posterioris constituantur quantitas discreta in esse talis. Tunc sic tam materia, quam forma compositi per se primario positivi debent esse primario entia positiva; aequi ultima quantitas, quatenus ultimo numerabilis est forma primario, & per se numerus; ergo est primario, & per se positiva ratio; ac proinde primario, & per se non constituitur in esse ultimae per negationem alterius unitatis.

SVBSECTIO III.

In qua tertia, & quarta ratio ponuntur.

Tertio argumentor, sic infringendo rationem quandam Patris Rubij, qui ex eo probat numerum esse ens per se, quia est sensibile per se, hoc est, visibile per potentiam visivam, cum autem potentia visiva accipiat unitatem per se a suo obiecto, sit ut numerus, qui est obiectum eius per se sit ens per se.

Sed contra primo, etiam cumulus, seu acervus lapidum est visibilis per se: ergo etiam ens per se sit ens per se.

128 per se: sed hoc est contra ipsum Rubium, & contra omnes Doctores; ergo ex eo quod numerus sit visibilis per se non erit necessario ens per se: antequam constet ipsa experientia, quis enim non videat plures lapides si sunt debite approximati potentiae visivae?

129 Confirmatur, actus intellectus cognoscit cumulum vt cumulum, seu vt acervum: sed actus intellectus est ens per se vnum, sicut actus videndi; ergo cumulus vt cumulus est ens per se: patet consequentia, sicut actus videndi, & potentia visiva habent unitatem a suo obiecto, ita etiam actus intellectus, & ipse intellectus; sed quia potentia visiva, & actus visionis habent suum esse, & unitatem a suo obiecto nimirum numero, colligit Pater Rubius numerum esse ens per se: ergo propter eandem rationem colligitur cumulum esse ens per se, quia intellectus, & actus intelligendi, qui sunt entia per se habent pro obiecto cumulum vt cumulum; sed haec ratio nullius momenti est ad probandum cumulum esse ens per se, quia summum absurdum est tale dicere; ergo similiter nullius momenti est sumptum argumentum a potentia visiva ad probandum numerum esse ens per se.

130 Secundo contra, & labefacto fundamentum P. Rubij, cui innititur argumentatio illius, numerus (quem ponunt adversarij) vt numerus non est visibilis per se: ergo non est sensibilis per se; consequentia est manifesta, in tantum enim numerus est sensibilis per se in quantum est visibilis per se; ergo si non est visibilis per se, non erit sensibilis per se; probatur antecedens; numerus constituitur

131 per numerabilitatem, & per rationem prioris, & posterioris, sed potentia visiva non percipit numerabilitatem, nec ordinem prioris, & posterioris; ergo potentia visiva non videt numerum vt numerus est; maior est sententia adversariorum: minor est certa, nam numerabilitas, &c. est aptitudo quam habent unitates, vt cognoscantur ab intellectu, vna prius, & altera posterior, sed illa aptitudo formaliter non cognoscitur a potentia visiva, cuius obiectum adaequatum est lucidum, & coloratum, & nulla potentia materialis cognoscit capacitates obiectorum vt cognoscantur, v. g. potentia ipsa visiva non videt visibilitatem sui obiecti: consequentia est manifesta, nam vt cognoscatur per se aliquod obiectum non sufficit quod cognoscatur id quod est idem cum illo, sed ipsum debet videri, & cognosci formaliter, & expresse; sed licet videatur, & cognoscatur per potentiam visivam quantitatis, quae est idem cum potentia illa, seu numerabilitate, non videtur talis potentia, seu numerabilitas expresse, & formaliter; ergo.

133 Maior est certa, nam intellectus evidenter cognoscit per principia metaphysica Deum quatenus vnum infinitum, & immensum, qui quatenus talis est idem cum trinitate personarum, & nihilominus intellectus per talia principia non cognoscit evidenter trinitatem personarum, quia illa solum fide cognoscitur in hac vita: ergo vt aliquod obiectum cognoscatur ab aliqua potentia, non sufficit vt cognoscatur per illam id quod identificatur cum tali obiecto, vt patet in ipsa potentia visiva; nam etiam si videat colorem, qui est idem cum intelligibilitate, vt videt per se intelligibilitatem, & intelligibilitas non est sensibilis per se: minor non est minus certa, quia numerabilitas ex parte quantitatis est tantum quaedam intelligibilitas, vt concedunt omnes adversarii.

135 R. P. Ildeph. de Peña fel. Theol. Schol. Tom. I.

sarij, & ratio est manifesta, quia intelligibilitas nihil aliud est quam capacitas vt obiectum taliter, vel taliter intelligatur; & praeterea, quia illa capacitas reducitur ad actum per intellectionem, quatenus actualiter intelligibiliter numeratur quantitas; ergo numerus vt numerus non cognoscitur per visum formaliter, & expresse; patet consequentia, quando non cognoscitur formaliter, & expresse forma alicuius concreti, non cognoscitur illud concretum vt tale est formaliter, & expresse; sicut si non cognoscitur albedo, non cognoscitur formaliter album, quia albedo est forma albi; sed numerabilitas est forma numeri: ergo si non cognoscitur numerabilitas formaliter, & expresse per potentiam visivam, non cognoscitur formaliter, & expresse per ipsam numerus vt numerus; ergo non est sensibilis per se.

137 Quarto sic argumentor, quia partes, quae non habent maiorem unitatem in toto, quam haberent si non essent in illo non sunt partes alicuius totius, quod est per se vnum: sed quantitates alicuius numeri non habent maiorem unitatem in numero, quam haberent si non essent in illo: ergo tales quantitates non sunt partes alicuius totius, quod sit ens per se vnum: ergo numerus non est ens per se: maior est evidens, quia vt aliqua plura component aliquod vnum debent habere unitatem inter se, alias si non habent unitatem non poterunt constituere vnum; quapropter partes, quae sunt separatae inter se non component quatenus sic separatae vnum totum; unde partes quae actu component, quatenus in toto composito sunt, debent habere unitatem, quam non habent extra compositum; & sic quando tales partes non habent magis unitatis in toto, quam extra illud, non component vnum totum, quod sit per se tale; quod exemplis manifestis declaratur; anima enim rationalis, & corpus Divi Petri, maiorem unitatem habebant inter se quando componebant Divum Petrum, & erant in illo vt in toto, ac habent nunc, quando sunt extra illum; & ratio est quia Divus Petrus erat vnum ens per se; & contra ideo lapides in cumulo, seu in acervo non habent maiorem unitatem ac extra acervum, quia acervus, quem component non est vnum ens per se: ergo partes, quae non habent maiorem unitatem in toto, quam haberent si non essent in illo, non sunt partes, &c. Minor sic probatur, quia unitates faciunt numerum, quatenus discretas, & divisas ad invicem, cum de ratione quantitatis discretas sit earentia unionis praecise, & ideo eadem numero quantitas continua potest esse discretas, nam quantitas continua sunt aliquae partes unitas, discretas vero eadem partes unionem carētes ē quibus proprie constituitur multitudo, haec multitudo numerum constituit formaliter, cuius constitutio non est aliqua forma distincta a singulis unitatibus: sed omnes illae aggregatae sumptae, v. g. numerus binarius nihil est praeter duas unitates, quatenus divisas, & discretas, nec potest intelligi numerum addere aliquem modum distinctum ab unitatibus, tum quia duo homines se ipsis sine villo addito sunt duo: ergo sunt numerus binarius, ad quem quid requiritur praeter dualitatem unitatum? Itaque tales partes numeri habent in numero solam unitatem discretionis, per quam ultimo constituunt numerum: sed tales partes habent eandem discretionem extra numerum cum quolibet seorsum sine alia sit etiam discretas, & divisa ab alia; ergo partes numeri in toto non ha-

bent maiorem unitatem ac habent extra totum.

143 Confirmatur, quia impossibile est advenire formam aliquam absolute per se alicui sine illius mutatione: sed sex lapidibus, v. g. senarium numerum constituentibus advenit septimus lapis sine mutatione sex lapidum: ergo nullam formam absolute, ac simpliciter per se de novo acquirunt; imo in vestra sententia, si addatur vnus lapis sex priores unitates desinunt esse sub senaria specie, & incipiunt esse sub septenario absque sui mutatione simpliciter, & per se: ergo numerus nihil aliud est præter ipsas unitates, siquidem præcisa omni formalitate superaddita unitatibus simul sumptis, ex vi ipsarum vt sic solum intelligitur multitudo limitata, & finita: ergo numerus non est magis vnum per se, quam multitudo rerum, sed multitudo rerum non est ens per se: ergo nec numerus.

144 Dices superaddi aliquid supra unitates ex vi cuius fiunt vnum per se.

145 Sed contra, quia homo, Angelus, & equus sunt numerus ternarius, & nihil addunt nec substantiale, nec accidentale propter quod fiant vnum per se; alias illæ tres substantiæ homo, Angelus, &c. si adderent aliquid substantiale vnā substantiam efficerent, quæ sine dubio esset chymera; nec illud additum est accidens; alias compositum ex Angelo, homine, & equo esset totum accidentale, quod est falsum, quia compositum ex substantijs substantia debet esse: sed accidens superadditum non potest constituere vnā substantiam: ergo non potest constituere ternarium illud substantiale.

146 Deinde, quia ipsæ unitates præcise sumptæ, v. g. tres partes aquæ vel tres quantitates, quatenus dividuntur inter se ex partibus fiunt tota, & ideo

147 Aristoteles dixit quantum est divisibile in ea quæ insunt, quorum vtrumque, vel vnumquodque, vnum quid aptum est esse; itaque vnaquæque quantitas ex vi divisionis redditur tota, & completa, cum antea per unionem esset incompleta, & pars; ergo tres illæ quantitates pro vt numeram constituunt sunt entia completa, & plura simpliciter, siquidem constituunt illum pro vt

148 sunt divisæ, & separatæ: ergo numerus ex illis constitutus non est vnum simpliciter: sed plura simpliciter, quia vnum, & plura simpliciter accepta opponuntur inter se teste Philosopho 10. metaphysicae tex. 9. vnde de eadem re dici nequeunt;

149 consequentia illa sic patet, quia tres quantitates existentes in tribus hominibus, aut existentes in arbore, homine, & equo, existunt in tribus sub-

150 iectis completis substantialibus: sed accidentia habent suam unitatem, & complementum, aut incomplementum à subiectis substantialibus in quibus sunt, & ideo assunt aduersarij individua-

151 ti, & sumere totum suum esse à subiectis: ergo illa non sunt vnum, sed plura completa.

SECTIO III.

In qua nostra secunda conclusio proponitur, & probatur.

152 Secunda conclusio: numerus non est species

per se, ac proprie quantitatis, probatur.

153 Primo, quia illud quod non est ens per se non potest esse proprie species entis per se: sed numerus non est ens per se: ergo numerus non potest

esse per se, ac proprie species quantitatis; probatur hæc consequentia, quia quantitas est ens per se: sed quicquid dicitur de superiori debet dici de omni contento sub illo; ergo quicquid dicitur de quantitate debet dici de omni inferiori contento sub quantitate; vnde si non potest dici, aliquid prædicatum quod est in quantitate de aliquo inferiori illud non erit proprie species inferior contenta sub quantitate tanquam sub genere: sed prædicatum entis, aut vnus per se, quod dicitur, & verificatur de quantitate vt sic, non potest dici aut verificari de numero: ergo numerus non est proprie species quantitatis; minor illa prima late probata manet sectioni superiori per omnes subsectiones illius. Maior prima est evidens; ideo acervus non potest esse per se species alicuius entis per se, v. g. lapidis vt sic, aut animalis vt sic, &c. quia acervus est ens omnino per accidens, & minime est vnum per se, & animal vt sic, & lapis vt sic sunt entia simpliciter per se; ergo quod non est ens per se non potest esse proprie, &c. Ratio à priori est, quia impossibile est quod in aliquo inferiori proprie, & per se alicuius superioris detur negatio: prædicari alicuius realis, quod vere, & essentialiter datur in superiori; vt v. g. impossibile est quod homo non sit vivens, & habeat negationem vitæ, & hoc, quia est propria species animalis in quo non datur negatio vitæ: sed potius vita, quia est vivens sensibile essentialiter; item impossibile est quod anima rationalis Petri non sit spiritalis, & habeat negationem spiritus, cum sit inferior per se animæ rationalis vt sic quæ vere spiritalis est, & ratio est, quia quicquid dicitur de superiori, dicitur de omni contento sub illo secundum illud axioma Dialecticorum dici de omni, & quicquid negatur de inferiori negatur etiam de superiori.

Secundo sic probatur principaliter, quia si 154 ordo numerabilitatis sufficeret vt quantitates discretæ facerent, aut constituerent vnum ens per se prædicamentale quantitativum, vel vnā propriam speciem quantitatis, etiam sufficeret similiter ordo numerabilitatis in rebus aliorum prædicamentorum, v. g. in substantijs discretis, & non unitis ad hoc vt daretur vnum ens per se substantiale discretum, & vna species per se discretæ substantiæ, & in qualitatibus discretis, seu separatistis, vt constituerent vnum per se qualitativum discretum: sed in nullius sententia datur vnum ens per se substantiale discretum, nec vna per se species discreta qualitatis; imo pro absurdo summo refellitur, & indicatur ab omnibus; ergo ordo numerabilitatis non sufficit vt quantitates discretæ in quibus est, constituant vnum ens per se quantitativum discretum, seu vnā per se ac proprie speciem quantitatis; minor, & consequentia sunt manifestæ, vt ex terminis patet: maior sic demonstratur, vbi est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis: sed per vos tota ratio formalis adæquate sufficiens ad constituendum ex quantitatibus discretis vnum ens per se quantitativum, seu vnā per se ac proprie speciem quantitatis est ordo numerabilitatis: ergo evidenter sequitur quod eadem, aut similis ratio formalis ordinis numerabilitatis, quæ datur in substantijs discretis, & in qualitatibus discretis, &c. sufficiat ad constituendum ex substantijs discretis, in quibus est talis ratio formalis vnum ens per se substantiale discretum, & ex qualitatibus discretis vnā per se speciem

ciem qualitatis discretam; unde si hæc non sufficit ut constituat ex substantijs, & qualitativibus unum ens per se, nec sufficit in quantitatibus.

165 Explicatur exemplo: ideo evidenter colligimus albedinē in saccharo non constituere ipsum dulce, quia albedo existens in pariete non constituit ipsum dulce, & ideo etiam evidenter colligimus lucem corpoream productam à sole in homine non esse sufficientem ad constituendum hominem in esse intelligentis actu, quia ipsa lux existit connaturali modo in pariete, & nihilominus non constituit ipsum in esse actu intelligentis: sed ordo numerabilitatis in substantijs discretis, &c. non sufficit ut constituat ex illis unum per se substantiale discretum, seu unam per se discretam speciem substantiæ; ergo similis ratio formalis ordinis numerabilitatis non sufficit, aut nullo modo constituit cum quantitatibus discretis unam per se speciem quantitatis.

166 Dices non dari eandem rationem formalem, in substantijs, & qualitativibus discretis, ac datur in quantitatibus discretis.

167 Sed contra manifeste, quia nihil aliud reperitur in quantitate discreta, aut numero quantitativo, nisi unitates, & entitates quantitativæ, discretio illarum unitatum, seu quantitatum, & numerabilitas cum ordine prioris, & posterioris: sed hæc omnia reperiuntur in substantijs; ergo datur in eis eadem, seu similis adæquata ratio formalis, &c. maior evidens est, ut patet ex dictis supra, & ideo adversarij dum intendunt fugere vim argumentorum confugunt ad numerabilitatem per ordinem prioris, & posterioris.

168 Minor sic probatur, quia in substantijs, v. g. in tribus Angelis dantur tres entitates substantiales, ac proinde tres unitates, datur etiam separatio, & discretio illarum unitatum ut ex se patet; item datur numerabilitas cum ordine prioris, & posterioris, quia nihil aliud est numerabilitas cum tali ordine, nisi potentia ut numerentur ab intellectu, unus primo loco, alius secundo, & alius tertio, ita ut unus prius quam alius numeretur: sed illi tres Angeli habent potentiam, & possunt numerari ab intellectu, ita ut unus prius alio numeretur, & unus primo loco, & alius medio loco, & alter ultimo loco; ergo habent numerabilitatem secundum ordinem prioris, & posterioris, nam ratio numerabilitatis non coarctatur ad quantitatem, cum secundum fidem catholicam ratio numeri ternarij reperiatur perfectissime in divinis personis. Item quoddam impedimentum est ad hoc ut tres Angelos unum post alium in ordine numeremus: certe nullum.

169 Et præterea tres Angeli sunt inæquales in numero quatuor Angelis, & intellectus potest concipere Angelos, vel qualitates materiales separatas à quantitate, & efficere omnes demonstrationes, quas efficit in quantitate in ratione numerabilitatis; ergo potest acquirere scientiam circa illam: ergo vel Angeli, vel illæ qualitates separatae sunt ens per se ut numerabiles, vel quantitates non sunt ens per se, quia datur eadem ratio in istis, ac in illis si sunt unum ens per se tres qualitates, vel tres Angeli: ergo ponuntur illæ in prædicamento qualitatis, & isti in prædicamento substantiæ, quod est contra omnes Doctores: ergo.

170 Dices in substantijs, qualitativibus, &c. rationes illas esse transcendentes, ac proinde non poni in

aliquo prædicamento, eo modo quo ponitur numerus quantitativus.

Sed contra primo, quia rationes illæ non sunt necessario transcendentes: ergo falsa est solutio. Probat antecedens, rationes illæ possunt abstrahi ab entibus completis, vel incompletis: ergo quando abstrahuntur ab entibus completis non sunt transcendentes; patet consequentia, illud quod est completum in aliquo genere non potest transcendere ultimas differentias rei quæ sunt incompleta entia: ergo ratio numerabilitatis in aliis prædicamentis non est necessario transcendens: ergo potest constituere diversum prædicamentum, quod autem ratio numerabilitatis possit abstrahi, vel à completis solum, vel ab incompletis solum probatur; quia potest abstrahi vel à materiis primis, vel à formis substantialibus solum, quæ essentialiter sunt entia incompleta, & per consequens sunt intelligibilia, & numerabilia incompleta; item possunt abstrahi rationes numerabilitatis ab hominibus solum, & ab Angelis solum, qui sunt entia completa; & per consequens intelligibilia, & numerabilia completa: ergo.

Secundo contra, quia vel sumitur ratio numeri in substantijs, quatenus præcise sunt unitates, & entitates, vel quatenus sunt unitates, & entitates substantiales; sed non primum: ergo secundum; probatur minor, quia etiam in quantitatibus si sumantur unitates, quatenus unitates sunt præcise, ratio numerabilitatis erit transcendens: ergo non ponitur in prædicamento, quia quidquid transcendit quatenus tale non ponitur in illo; probatur antecedens, unitas ut unitas est convenit quantitati ratione entis; sed quidquid convenit quantitati ratione entis est transcendens; ergo unitas ut unitas etiam in quantitate est transcendens: ergo numerus in quantitatibus non constituitur ratione unitatum ut unitates sunt præcise, sed ratione talium unitatum scilicet quantitativarum: ergo etiam unitates substantiales ut unitates substantiales sunt, non sunt transcendentes licet sint transcendentes quatenus unitates; patet consequentia; ideo unitates quantitativæ non sunt transcendentes, quia ratio quantitatis in qua sunt tales unitates non divagatur per omnia prædicamenta, sed ratio substantiæ, in qua sunt unitates substantiales, ita similiter se habet; ergo illæ unitates non sunt transcendentes: probatur minor substantia ut substantia non divagatur per omnia prædicamenta; ergo neque unitas substantialis ut unitas substantialis est: ergo numerus substantialis ut numerus substantialis est, non est transcendens: sed est ens per se peculiare; ergo ponitur per se in prædicamento substantiæ: sed non ponitur; ergo nec numerus quantitativus in prædicamento quantitatis, quia non est maior ratio unius quam alterius.

Confirmatur, quando ratio aliqua communis est transcendens, ratio particularis per quam contrahitur non est transcendens; ergo licet unitas ut sic; vel numerus ut sic sit transcendens, talis unitas, vel talis numerus per quem contrahitur illa unitas, vel ille numerus ut sic, non erit transcendens; antecedens est manifestum, licet enim ens sit transcendens, nihilominus substantia completa, quæ est genus generalissimum prædicamenti substantiæ, & contrahit ens, non est transcendens: ergo &c. vel sequetur, quod etiam unitas quantitativa sit transcendens, & per consequens

sequens numerus quantitativus non ponitur per se in predicamento.

SVBSECTIO I.

In qua tertium, & quantum argumentum ponitur.

174 **T**ertio sic argumentor; omnis species per se quantitatis est ens compositum per se intrinsecum reale: sed numerus non est compositum intrinsecum per se reale: ergo non est propria species quantitatis; maior est evidens, quia omnis species debet participare omnia illa predicata realia, quae sunt de essentia sui rationis superioris, secundum illud axioma logicum, dici de omni, ut videre est in omni specie respectu sui generis, & in individuo respectu suae speciei; & ideo omnia predicata quae conveniunt animali conveniunt homini, & omnia predicata realia quae conveniunt homini conveniunt Petro; sed quantitas sic, quae est genus generalissimum praedicamenti quantitatis est ens per se compositum intrinsecum reale; ergo omnes species eius debent participare hanc essentiam; minor sic probatur, quia in numero nulla datur compositio intrinseca per se realis: atqui solum, & necessario unum ens per se compositum, &c. constituitur in esse talis per compositionem intrinsecam per se realem, ut videre est in homine, equo, lapide, &c. & contra ubi deficit haec compositio vel unio intrinseca realis per se deficit compositum intrinsecum reale per se, ideo enim visum, amatum, & intellectum non sunt composita intrinseca per se, quia unio, seu compositio illorum non est intrinseca per se realiter, sed solum extrinseca; ergo numerus non est ens intrinsecum per se reale; vel maior sic probatur, quia in unitatibus numeri, & posterioris, qui ordo vocatur unio ab adversariis, vel datur actualis ordo prioris, & posterioris; nihil enim amplius datur per quod constituatur formaliter compositum per se intrinsecum ex talibus unitatibus quod vocetur numerus: sed nec primum, nec secundum est unio, aut compositio per se intrinseca realis sufficiens ad constituendum numerum: ergo in numero nulla datur unio, aut compositio intrinseca realis.

De primo sic probatur; quia aptitudo ad intellectionem non est intellectio, sed potentia ad intellectionem. Item potentia ad calefactionem non est calefactio, & aptitudo ad unionem non est actualis unio, nam materia prima est aptitudo ad unionem, & nihilominus non est actualis unio: sed per vos ordo prioris, & posterioris est unio, seu compositio numeri: ergo aptitudo ad ordinem prioris, & posterioris non est actualis unio, & compositio numeri: ergo ex vi talis aptitudinis non fit compositum per se, quia illud non fit nisi per actualem unionem, & compositionem partium, nam compositum per se intrinsecum est actualis effectus formalis a forma actu unita, & actu componente resultans: ideo enim nunc non datur compositum Alexandri Magni actuale, licet datur eius forma, & eius materia, quia actu non est unita forma Alexandri cum materia, nec actu componitur cum ipsa, sed actu datur aptitudo in tali forma ut componatur: ergo sola aptitudo ad unionem, & compositionem non sufficit ad

constituendum actu compositum: ergo.

De secundo sic probatur: ordo ille actualis, seu unio ordinis prioris, & posterioris in unitatibus vel est denominatio extrinseca, si est aliquid reale; vel est ens rationis: sed denominatio extrinseca nullo modo est intrinseca tale cum effectus debeat esse eiusdem rationis cum unione, aut compositione, ita ut si unio sit extrinseca, compositum resultans extrinsecum sit, & non intrinsecum; & ideo dexterum in pariete, visum, intellectum, & amatum sunt extrinseca composita, & non intrinseca, quia forma extrinsece unitur, & applicatur subiecto, ac proinde unio inter talem formam, & subiectum est denominatio extrinseca; itaque necessario debet dari unio intrinseca ad constituendum intrinsecum compositum: ergo unio quae reperitur inter unitates numeri non est intrinseca, nec intrinsece constitutiva; si autem ille ordo sit ens rationis non potest esse unio realis, nec constituere reale compositum; ideo chymera non est compositum reale, quia unio, seu compositio quae datur inter hominem, & equum ex quibus componitur, non est unio realis, sed rationis, & idem est in universali formaliter propter formam, & unionem rationis: ergo si ordo prioris, & posterioris, quae compositio numeri dicitur, & unio inter unitates illius, ex quibus componitur, est ens rationis: ergo numerus non erit compositum intrinsecum reale.

Quod autem ordo ille sit denominatio extrinseca, sic probatur, quia ille ordo prioris, & posterioris in unitatibus provenit ab intellectu numerante illas; sed intellectus nihil intrinsecum potest producere in unitatibus materialibus: ergo ille ordo non est quid intrinsecum, sed aliquid extrinsecum: maior conceditur ab adversariis, minor sic probatur, intellectus est potentia immanens, & non transiens: sed potentia immanens nihil potest producere extra se ipsam, alias esset immanens, & transiens: ergo intellectus nihil intrinsecum potest producere in unitatibus, quia unitates sunt extra intellectum, quid enim potest producere intrinsecum intellectus humanus in ternario, & quaternario Angelorum, certe nihil: & idem est de tribus lapidibus, quia illud quod produceret intellectus in illis, neque esset spirituale, nec materiale, aut corporeum, non spirituale, quia in lapidibus nihil spirituale potest recipi ad componendum numerum corporalem, & materiam, inter partes enim pure corporales ex quibus componitur purum corporeum non potest dari unio spiritualis, ut videtur in unione animae equi, & materiae illius.

Nec potest esse aliquid corporeum, quia intellectus quatenus potentia cognoscitiva est, nec formaliter, virtualiter, aut eminenter est corporea, nec continet rem corpoream, aut materiam, & ideo quidquid producit est spirituale, v. g. verbum mentis, habitus, &c. ergo.

Tandem, quia respectu obiectorum tantum est cognoscitivus intellectus, ac proinde adequate representativus: atqui numerus est obiectum intellectus; ergo respectu illius tantum representative se habet solum representando numerum; ergo numerus constituitur tantum ab intellectu in esse representati, & cogniti: sed esse cognitum, & representatum est mera denominatio extrinseca; ergo quidquid unionis, aut compositionis datur inter unitates ex quibus componitur

ponitur numerus est extrinseca denominatio.

180 Probatum nunc quod talis ordo sit ens rationis, quia ille ordo non est à parte rei inter vnitates aquæ v.g. quæ homogeneæ sunt, ac proinde non est vna prior, & alia posterior, neque vna prima, & altera vltima, quia non est maior ratio quare hæc sit prior altera, & illa posterior hæc, & concipitur ab intellectu, ac si esset in illis concipientem aliter ac est: ergo talis ordo est ens rationis, quia hæc est definitio entis rationis.

181 Confirmatur, quia totus numerus adæquate constituitur per designationem, & numerationem intellectualem; atqui talis designatio, & numeratio intellectualis est omnino extrinseca denominationi; ergo numerus, qui per talem denominationem extrinsecam constituitur, non est ens intrinsecum reale per se, sed potius extrinsecum; probatur maior, per id aliquid constituitur in esse talis per quod distinguitur ab alio: sed numerus ternarius hominum distinguitur à quaternario per designationem, & numerationem intellectualem; ergo numerus per designationem, & numerationem &c. constituitur: maior est certissima in metaphysica, quia omne constitutum est distinctivum: probatur minor, vel numerus ternarius hominum datur distinctus à parte rei actualiter, vel non datur: si datur, ergo vel illa distinctio est ratione temporis, quia sunt in eodem tempore, & hoc non, quia omnes homines qui sunt nunc in hoc mundo sunt in eodem tempore; ergo omnes efficiunt vnum numerum: ergo non possunt dari plures numeri essentialiter distincti; vel illa distinctio est ratione loci, scilicet ex eo quod sunt in eodem loco; & hoc etiam non, quia numerus ternarius non dependet ab eo quod homines sunt in eodem loco, quod patet primo, quia si tantum essent tres homines in mundo, & vnus esset Romæ, & alius Limæ, alius vero Matriti, esset numerus ternarius hominum, & nihilominus non essent in eodem loco: ergo.

Secundo, vel ita debent esse in eodem loco, vt sint penetrati, & hoc non, quia naturaliter est impossibile penetratio, vel essent distantes, vel indistantes, & hoc etiam est voluntarie dictum, quia in quacunque distantia potest dari numerus actualis, ex eo quod mens numeret tres homines, Petrum scilicet, Ioannem, & Franciscum; & ex eo quod mens actualiter numeret quatuor homines, Paulum scilicet, Antonium, Iacobum, & Philippum, datur actualiter numerus quaternarius distinctus essentialiter à numero ternario, & numerus ternarius distinctus à numero quaternario; ergo distinguuntur per actualem designationem mentis. Patet consequentia, ante actualem designationem, & numerationem, non dabatur actualiter numerus ternarius, & quaternarius, & per ipsam actualem designationem, & separationem intellectus, qua vnum numerum dividit ab alio distinguitur vnus numerus ab alio; ergo distinguuntur vnus numerus ab alio per actualem designationem, numerationem, & separationem intellectualem: ergo numerus actualis constituitur per illas; minor prima, & præcipua est evidens, & recipitur ab adversariis; nam talis designatio, &c. est actus intellectus designans, & numerans: sed actus intellectus est forma extrinseca, & non intrinseca respectu numeri lapidum, &c. siquidem actus mens intellectus est in meo intellectu, & lapides quos designo sunt Romæ, Matriti, aut Babylonem; ergo actus intellectus est forma extrinse-

ca respectu illorum; alias si non extrinseca, sed intrinseca forma esset mens actus, intellectus inhereret, & informaret intrinsece lapides, &c. quod est summum absurdum inauditum; ergo designatio intellectus est mere extrinseca denominationi respectu numeri.

Respondent adversarij, ad probationem præcipue maioris in qua est difficultas ante actum intellectus numerantem, &c. dari numeros distinctos.

Sed contra, quia non est per quid distinguantur actualiter, nam quamvis ex se habeant aptitudinem vt sit numerus ternarius, vel quaternarius, nihilominus quod actualiter sit numerus ternarius, vel quaternarius non habent ex se vnitates; alias etiam quando mens concipit ex vna parte tres homines in se erunt numerus binarius, & ternarius simul, & etiam pars quaternarij quod est contra Aristotelem, & omnes adversarios dicentes numerum ternarium non includere binarium actualiter, neque esse partem quaternarij, quod autem hoc sequatur patet, quia vel quando arithmeticus v.g. vt efficiat aliquam demonstrationem considerat ex vna parte numerum ternarium, & ex alia quaternarium, vnus numerus distinguitur ab alio actualiter, & essentialiter, ita vt numerus ternarius non sit actualiter pars numeri quaternarij, si hoc; ergo solum per numerationem actualem sit ternarius, & distinctus, à quolibet alio, quia antea habebat omnem aptitudinem, & numerabilitatem, & non erat numerus ternarius distinctus actualiter, & essentialiter à quolibet alio numero; si autem adhuc vt actualiter consideratur ab Arithmetico est pars alterius numeri; ergo vt sic est quid incompletum in ratione numeri, quod est absurdum, quod intendimus ertere.

Vrgetur, si numerus non constitueretur per 184 numerationem actualem omnes entitates quantitativæ existentes à parte rei efficient vnum numerum, quia non esset maior ratio quare darentur plures numeri, quam pauciores, & quare potius hæc entitas componeret cum alia, & non cum altera, & præterea actualiter darentur infiniti numeri, quia possunt fieri infinitæ combinationes vnitatum inter se; sed hæc omnia sunt contra adversarios.

Quarto, quia omnia illa quæ sunt species quantitatis proprie debent esse entia naturalia per se, & non artificialia, aut moralia; sed numerus non est ens per se naturale, sed artificiale aut morale: ergo numerus non est per se species quantitatis proprie; maior est evidens, quia eo modo sunt species, quo est genus sub quo sunt: sed quantitas vt sic quod est genus est ens naturale per se, & non artificiale, aut morale; ergo omnes species quantitatis sunt entia naturalia per se, & non artificialia. Deinde, quia omnia quæ sunt species alicuius generis proprie per se ponuntur in prædicamento illius generis directe: sed omne quod per se, & directe ponitur in prædicamento debet esse naturale, & non artificiale; ideo enim domus, pileum, scamnum, &c. à prædicamento excluduntur per se, quia sunt entia artificialia, licet maiorem vniionem habeant inter proprias partes materialem scilicet, & formalem, quam numerus, nam forma scamni ita petit esse in materia illius intrinsece, vt non possit vlllo modo conservari extra materiam scamni. Item excluduntur omnia Sacramenta à prædicamento, quia non sunt entia

entia naturalia: sed moralia, aut moraliter composita: Item Respublica, & exercitus non includuntur directe in prædicamento propter eandem rationem, nam entia artificialia, & naturalia sunt absolute entia per accidens, & ideo licet in ipsis detur unio quæcumque, aut ordinis, ut in exercito, & in Republica, ubi datur ordo dignitatum prioris, & posterioris, aut alterius rationis, cum hæc unio non faciat ens per se excluduntur à prædicamento.

186 Minor prima, & præcipua sic probatur, quia illud est ens per se naturale, quod à causis naturalibus naturaliter operantibus per actionem physicam, & naturalem producitur; sed numerus actualis quatenus talis, & quatenus dicit ordinem prioris, & posterioris non fit, aut producitur per causam naturalem naturaliter, & per physicam actionem ut patet ex supra dictis; ergo non est ens naturale. Deinde, quia illud est ens artificiale, aut morale, quod ab artifice intellectualiter, aut moraliter operante componitur aut producitur: sed numerus est huiusmodi; ergo numerus est ens artificiale, aut morale, & non naturale; maior est certa, ideo enim vas est ens artificiale, & Sacramentum est ens morale, quia illud ab artifice intellectualiter, & hoc ab agente moraliter operante producitur: ergo Minor sic probatur, quia numerus, v. g. ternarius trium partium aquæ non habet ex se, & ex natura sua, & ex vi causarum naturalium ordinem prioris, & posterioris: sed potius ab homine libere, & intellectualiter operante accipit hunc ordinem, quod iam supra probavimus; ergo numerus secundum rationem formalem numeri operi mandatur, aut producitur ab agente artificialiter, aut moraliter operante; hæc consequentia sic probatur, quia nihil aliud est moraliter operari nisi libere, sicut nihil aliud est artificialiter operari, nisi operari secundum regulas alicuius artis: sed numerus producitur in esse numeri secundum ordinem prioris, & posterioris ab homine libere, & ad libitum, ac secundum regulas artis operante; ergo moraliter, & artificialiter producitur.

187 Tandem, quia ens naturale habet naturales, ac determinatas causas intrinsecas, materiam scilicet, & formam; ita ut materia non possit esse forma, nec forma possit esse materia illius; sed materia determinate sit semper materia, & forma semper determinate forma; item quod forma compositi unius speciei, nec quoad entitatem, nec quoad formalitatem possit esse forma compositi alterius speciei, ut videre est in igne, vel equo, quorum formæ nunquam possunt esse materiæ eorundem; nec possunt esse formæ aliorum compositorum specie distinctorum: sed entitas, quæ est forma in ternario potest esse materia eiusdem ternarii, si ab homine libere eam antea ultimo numerante, postea numeretur vltima, & unitas, quæ est forma numeri ternarii potest tolli à numero ternario, & coniungi cum numero quaternario, aut cum quatuor unitatibus, & facere numerum quinarium, ut forma quinarium specie distincti à ternario, ut late iam supra probatum manet: ergo numerus non habet determinatas, & naturales causas intrinsecas formam scilicet, & materiam: ergo non est ens per se naturale compositum.

SUBSECTIO II.

In qua quintum argumentum proponitur.

Quinto sic argumentor, tota entitas unius speciei realis formaliter, & materialiter non potest includi in alia specie completa inadæquate constituendo illam: sed tota entitas quaternarii formaliter, & materialiter, constituit inadæquate quinarium, & quinarium similiter constituit senarium, & senarius septenarium, &c. ergo numerus non est species propria quantitatis. Maior supra dum egimus de linea, & superficie probata, & demonstrata manet; minor sic probatur, quia ternarius, v. g. & idem est de reliquis nihil aliud est, quam tres unitates ut numerabiles prima, secunda, tertia: sed tres unitates ut numerabiles hoc modo una post aliam à prima usque ad tertiam, sic constituunt quaternarium, nam formaliter ut numeretur, & constitutur quaternarius debent tres unitates prius numerari hoc modo prima, secunda, tertia, & postea quarta, quia quaternarius formaliter includit quartam unitatem ut quarta est: sed quarta formaliter ut quarta necessario præsupponit primam, secundam, & tertiam, ita ut si non fuerit formaliter hic ordo, non possumus progredi ad quartam formaliter sine qua non datur quaternarius; ergo ternarius non solum materialiter: sed etiam formaliter includitur in quaternario, & inadæquate constituit illum; consequentia hæc est manifesta, & de materiali nullo modo potest dubitari, quia nihil aliud est materiale ternarii, nisi unitates illæ, aut quantitates ex quibus componitur ternarius: sed illæ ipsæ quantitates seu unitates ex quibus componitur ternarius includuntur in quaternario, & componunt ipsum, quia quaternarius componitur solum ex illis tribus unitatibus, addendo quartam; ergo numerus ternarius quoad materiale includitur in quaternario.

Quoad formale vero sic demonstratur, quia nihil aliud est formale, aut formalitas totius ternarii nisi numerabilitas, aut actualis numeratio cum ordine prioris, & posterioris, numerando cum ordine prioris, & posterioris, numerando primam, secundam, & tertiam: sed illæ tres unitates, quæ includuntur in quaternario non includuntur in illo, nec componunt illum nisi prius numerentur secundum ordinem prioris, & posterioris dicendo prima, secunda, tertia, quibus numeratis formalissime cum tali ordine addimus quartam dicendo quartam: non enim possumus pervenire ad numerationem quartæ nisi antea numeraverimus tres unitates cum ordine prioris, & posterioris à prima usque ad tertiam; ergo numerus ternarius quoad formale, vel formalitatem totius ternarii includitur in quaternario.

Quod autem inadæquate constituat patet, quia ternarius non constituit quaternarium ut tota quidditas quaternarii, siquidem quaternarius addit quartam unitatem supra tres, ac proinde aliquid prædicatum essentiale, quod non dicit ternarius, sicut corpus non est tota quidditas hominis, quia homo addit supra corpus animam essentialiter, quam non dicit corpus, ac proinde corpus inadæquate constituit hominem: ergo ternarius, qui constituit non ut tota essentia constituit.

constituet vt pars essentia; ergo inadæquate constituit.

191 Dices adveniente quarta vnitate desinere ternarium.

192 Contra manifeste, quia per aduentum quartæ vnitatis, nec desinit materiale, nec desinit formale ternarij: sed potius sunt simul materiale, & formale illius: ergo per aduentum quartæ vnitatis nullo modo desinit ternarij: patet hæc consequentia, quia non desinente aliquo quoad materiale, & formale; sed potius perseverante quoad vtrumque simul vnitum non potest desinere illo ipso, v. g. non desinente homine quoad corpus, & quoad animam vnitam corpori, quod est formale hominis: sed potius perseverantibus materia, anima, & vnione hominis simul sumptis, & vnitis non potest desinere homo: sed adveniente quarta vnitate non desinunt tres vnitates, aut quantitates, siquidem tres reperiuntur in quaternario, quæ sunt materiale ternarij, nec ordo formalis primæ, secundæ, & tertiæ desinit, cum hic necessarius sit ad quaternarium vt iam probavimus, ac proinde non desinit, nec quoad formale, nec quoad materiale: sed potius perseverat quoad vtrumque simul vnitum; ergo per aduentum quartæ vnitatis non desinit numerus ternarij.

193 Respondent aliqui numeraliter, v. g. ternarium addere præter ordinem prioris, & posterioris aliquem modum supra tres vnitates, qui adveniente quarta vnitate destruitur.

194 Contra manifeste, quia vel ille modus additus esset vnus omnino per se sive simplex, sive compositus in omnibus vnitatibus simul sumptis, & in singulis earum, vel esset tantum vna collectio ne aliquid ponens in singulis vnitatibus; primum est plane impossibile de modo simplici, quia vna entitas simplex non potest esse in subiectis realiter distinctis ac distantibus vt sunt vnitates numeri sine aliqua physica vnione per se, vt de se patet. Et de modo composito physice per se non est minus impossibile, vt videre est in vna numero albedine, quæ licet sit res, & non modus ex eo tantum quod est vna per se physice composita non potest esse simul, & eodem tempore in Rege Hispaniæ, Angliæ, & Galliæ, qui faciunt numerum ternarium; ergo a fortiori vnus numero modus physice per se compositus non poterit esse in tribus vnitatibus componentibus ternarium non vnitis per se physice: sed potius physice diuisis, & discretis, quia magis dependet vnus per se modus ab vno per se subiecto, quam vna res ab vno subiecto; nam vna res potest esse saltem diuinitus sine vilo subiecto, vt quantitas in Eucharistia, & nihilominus vnus modus adhuc diuinitus non potest esse, &c.

195 Secundum vero superfluum est imo repugnat, quia eadem vnitas apta est componere binarium, ternarium, & quemlibet numerum in infinitum; ergo vel est apta per se ipsam sine additione, vel non: si primum est intentum; si secundum ad singulos numeros componendos indigebit peculiari addito distinctæ rationis, & sic deberent addi modi in infinitum distincti.

196 Item, quia etiam vnus totus numerus vt binarius potest componere alium numerum: v. g. binarium ternariorum, aut quaternariorum, nemo autem fingere potest huiusmodi numerum addere aliquid rei supra alios numeros simul sumptos, v. g. binarius vt binarius est, alias rediret efficacia.

R. P. I. deph. de Peñafiel Theol. Schol. Tom. I.

cuius, & fortius argumentum supra factum, quia vel ille modus esset simplex, vel compositus per se, vel per accidens, aut non per se vnus; si hoc vltimum, non poterunt vnitates ratione illius modi qui per accidens, & non per se physice est vnus componere vnum numerum magis quam per se ipsas, nam ideo tales vnitates per se ipsas non possunt componere vnum ens per se, quia inter se non habent vnionem per se: sed potius sunt diuisæ & discretæ: sed etiam ille modus superadditus nullam habet vnionem per se inter suas partes: sed potius habet discretionem, & diuisionem inter illas, ac proinde non habet vnitatem per se physicam, aut compositam, aut simplicem sicut habet mea albedo, & habet meus intellectus, ratione cuius dicitur vnus per accidens, aut multitudo modorum, sicut sunt ipsæ vnitates præciso modo; ergo talis modus non potest facere vt vnitates quæ per se non poterant componere vnam propriam speciem quantitatis ratione sui componant illam.

Primum dici non potest, quia vnus per se modus simplex, aut compositus non potest esse, aut in toto binario ternariorum, aut in partibus talis binarij, quia partes non habent maiorem vnitatem quam ipsæ binarij, siquidem sunt ternarij, ac proinde sunt tam entia per accidens sicut binarij; nec potest dici quod talis modus sit partim in singulis vnitatibus, quibus componuntur ternarij, nam si numerus dicit speciem modum realem partialiter existentem in singulis vnitatibus: interrogo, si sit vna tantum vnitas in rerum natura, an in illa sit ille partialis modus, vel illi addatur quando sit altera vnitas, neutrum enim potest cum probabilitate dici. Primum patet, tum quia vt bene advertit P. Suarez, quotiescumque vnum compositum resultat, & multis per peculiarem modum compositionis, destructo altero extremo omnino tollitur ille modus vt inductione constat in omni compositione, sive per veram vnionem, sive per quamcumque habitudinem: ergo idem dicendum est in præfenti si compositio numeri sit per speciem modum. Tum etiam, quia si in rerum natura sit vnum tantum corpus, fingi non potest quid in illo sit in ordine ad componendum numerum præter eius quantitatem indivisam, aptitudo enim vel ad diuisionem, vel ad componendum numerum nihil est præter quantitatem.

Altera vero pars facile probatur, nam si vnum corpus tantum sit in rerum natura ex eo solum, quod aliud fiat, confurgit binarius, & tamen ex eo solum quod illud fiat nihil rei additur alteri corpori, nisi fortasse relatio similitudinis, aut æqualitatis, quæ omnino impertinens est ad rationem numeri.

Nec dici potest talem modum esse solum in aliqua vnitate, quia non est maior ratio de vna quam de alijs.

Et præterea inductione potest facile ostendi nullum esse talem modum realem additum vnitatibus simul sumptis ad componendum numerum, quia neque est vnus aliqua realis, neque ordo, neque situs, neque aliquid huiusmodi, quia hæc omnia sunt accidentia ad numerum constituendum, nihilque vltra requiritur præter existentiam vnitatum.

Hoc totum efficacius confirmatur, quia vel ille modus separari potest ab vnitatibus simul existentibus, vel non: si separabilis non est, sine fun-

M m m m damento

damento fingitur distinctus in re, si vero separari potest, ponamus separari; vero tunc duae unitates existerent non minus essent binarius, quam modo; ergo signum est binarium non constitui per modum illum ex natura rei distinctum. Idemque argumentum aequè efficax fiet per separationem, aut praecisionem intellectus: nam si praeciso tali modo intelligitur binarius existens, si duae unitates existant; ergo signum est non constitui formaliter per illum modum, nam praeciso formali constitutivo, non potest intelligi res constituta.

202 Alij respondent tres unitates componere numerum quaternarium, non quatenus sunt numeri ternarius.

203 Sed contra, in tantum tres unitates sunt numeri ternarius in quantum sunt tres entitates quantae numerabiles; sed in quantum sunt tres entitates huiusmodi componunt numerum quaternarium; ergo quatenus sunt numeri ternarius componunt numerum quaternarium; probatur maior, in quantum tres unitates sunt tria quanta numerabilia habent materiam, & formam numeri ternarii; sed in tantum sunt numeri ternarius in quantum habent materiam, & formam ternarii; ergo in quantum sunt tria quanta numerabilia sunt numeri ternarius.

204 Dices componere numerum ternarium in quantum inter illas tres unitates datur aliqua ultima; sed quando ipsae tres unitates componunt numerum quaternarium nulla datur ultima unitas inter illas; ergo propterea componunt numerum quaternarium non est ternarius.

205 Sed contra, vel est in quantum aliqua ex illis tribus unitatibus est ultima actualiter, vel aptitudinaliter; sed non primum; ergo secundum; non primum, quia esse ultimum actualiter est quod actualiter numeretur ab intellectu, quod est denominatione extrinseca, & haec secundum adversarios non constituit essentialiter numerum; si autem est in quantum ultima aptitudinaliter, etiam quando componit numerum quaternarium est ultima unitas aptitudinaliter; ex eo enim quod iungatur quarta unitas cum illis, non amittunt aliquid intrinsecum, neque mutantur intrinsece; ergo retinent rationem ultimae aptitudinaliter, quia talis ratio ultimae unitatis est quid intrinsecum in illis; ergo secundum omnem illam rationem componunt numerum quaternarium.

SECTIO ULTIMA.

Argumenta Adversaria solvuntur.

206 AD locum Aristotelis respondeo Philosophum divisisse quantitatem in continuam, & discretam, non divisione univoca, & propria, sed potius divisione quasi analogi in analogata, eo modo quo posset dividi risus in risum hominis, & prae, vel eo modo quo dividitur homo in hominem verum, & pictum. Itaque Aristoteles discretam inter species quantitatis, non quia revera sit propria species, & habeat veram, & propriam unitatem per se, sed quia in re habet suum modum extensionis, seu multiplicationis, & communiter concipitur per modum unius habentis suam definitionem, & proprietates, quod satis est ut aliquomodo, & reductively in praedicamentali

coordinatione constitatur, neque enim omnia quae hoc modo in praedicamentis collocantur, habent in rebus propriam, & per se unitatem. Quodque nihil aliud Aristoteles intenderit ex alijs eius locis quos supra pro nostra conclusione citavimus. Neque proprietates per se quantitatis proprie conveniunt numero ut videbimus in responsione ad sextum.

Ad secundum argumentum nego maiorem: ad probationem illius nego antecedens, & ad illius probationem concedo maiorem, quia oratio etiam excluditur ab hoc praedicamento, quia est ens per accidens. Item distinguo minorem: sed quantitas continua non potest esse genus supremum negative nego minorem, positive concedo minorem; dupliciter enim dici potest aliquid primum, & supremum negative, vel positive; negative dicitur tale quatenus non datur aliud primum, & aliud supremum, ad eum modum, quo dicitur Petrus vnicus Filius Pauli primogenitus illius, quatenus non datur alius primus, quo modo loquendi videntur multi Patres circa Christum Dominum respectu Virginis, quem vocant primogenitum illius.

Positive autem dicitur aliquid primum, quatenus est ante alia, & supponit alia, vel connotat illa, ut melius loquar sub se, quae sequantur ad illud, ut v.g. in numero ternario Petrus potest dici primus, quia connotat alios homines qui sequuntur ad ipsum, ita similiter supremum genus dicitur negative illud quod non supponit aliud genus supra se; positive autem dicitur supremum quatenus sub illo sunt alia genera; praedicamentum autem non requirit necessario supremum genus positive, sed negative tantum, quod datur in quantitate; sicut v.g. ut Deus sit ens à se non est necesse ut sit à se positive, hoc est ut fiat, aut producat ut sit eo modo quo in sententia probabili reproducitur Christus à se ipso in Eucharistia, sed sufficit esse negative à se, id est quod non fiat ab alio; ergo si Deus, qui est omnibus rebus perfectior infinite ut accipiat perfectissimam denominationem à se, sufficit quod negative sit talis, à fortiori sufficit ut imperfectissimum genus inter omnia genera realia simpliciter dicatur supremum quod negative sit tale.

Ad tertium respondeo negando antecedens, quia vnus habitus potest esse de illis etiam entibus per accidens, quibus aliqua proprietates convenire potest propter aptitudinem quam à parte rei habet illud obiectum, ut à scientia quasi vnum aliquo modo concipiat ut Politica versatur circa Rempublicam, & ars militaris circa exercitum, quae sunt entia per accidens, & in sententia ipsorum adversariorum excluduntur à praedicamento, sicut domus, & civitas sunt obiectum per se Architecturae, & nihilominus excluduntur à praedicamento: ex quibus evidenter colligitur maiorem unitatem requiri ad hoc ut aliqua ponantur in praedicamento, quam sint obiectum alicuius scientiae, quia ad primum requiritur rigorosa unitas per se ratione vel identitatis, vel unionis physicae; ut patet ex supradictis, & ad secundum non est necesse, ut partes alicuius obiecti habeant rigorosam unitatem per se, sed sufficit convenientia, aut similitudo inter partes illius adaequati obiecti, aut aliqua ordinatio inter illas, ut diximus in praecedentibus, de quo latius agemus *disputatione 1. metaphysica.*

Hoc

210 Hoc totum evidenter demonstro sic; quia intellectus humanus habet pro obiecto adæquato à quo per se specificatur, & accipit unitatem omne intelligibile, cuius partes non habent unitatem per se, sive per identitatem, sive per unionem, nam partes illius obiecti sunt omnes creaturæ tam corporeæ, quam spirituales, tam substantiales, quam accidentales; Item præcipua pars illius obiecti, utpote obiectum attributionis est Deus: atqui omnes creaturæ inter se, & cum Deo non habent unitatem per se, nec identitatis, nec unionis physice; sed solum habent quamdam convenientiam, similitudinem, & subordinationem inter se in ordine ad Deum; ergo ut aliquid sit obiectum alicuius principij cognoscitivi per se vnius, non est necesse ut sit omnino ens per se, sed sufficit ut aliquomodo tale principium cognoscat illud ut aliquo modo vnum, & contempletur in illo aliquas proprietates, & aliqua prædicata secundaria tali obiecto convenientia. Totum hoc ad hominem patet contra adversarios, nam ipsi asserunt Angelum per vnam simplicem cognitionem (quod in cognitione divina omnes sine controversia fatemur) plura ut plura cognoscere, ut Deum, & hominem, entia artificialia, & naturalia, & nihilominus illa quæ per modum vnius obiecti per se cognoscuntur non habent unitatem per se eo modo quo illud, quod in vno prædicamento ponitur petit necessario; ergo.

211 Item contenti deberent esse adversarij, quod obiectum Arithmetice esset vnum per rationem aut vnum ens rationis, nec tam solliciti, aut inquieti deberent esse ad extorquendum à nobis unitatem rigorosissimam per se realem tali obiecto, si confectionem aut acolutiam in sua doctrina haberent, nam Logica in eorum sententia propriissime, & perfectissime vna scientia est, & nihilominus illi tribuit pro obiecto per se primario quoddam ens rationis, aut concretum ex operationibus intellectus, & relationibus rationis, aut directione rationis, quod non potest esse vnum ens per se reale, sed potius est vnum concretum rationis, quia bonum ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu. Et ideo univèrsalia formaliter, prædicatum, subiectum, &c. secundum ipsos, quæ iidem adversarij attribuant Logice, ut obiecta per se primaria essentialiter sunt entia rationis; ergo ut numerus sit obiectum per se alicuius scientiæ realis non est necesse in vestra sententia ut sit vnum omnino per se reale, sed sufficit ut sit quomodocumque vnum.

212 Tandem respondeo duplex esse ens per accidens, aliud casuale, qualis est inventio Thesauri, vel etiam illud quod est omnino voluntarium, & ad libitum, ut quod verbum *amo*, *amas*, petat accusativum, & hoc modo coniungitur, vel quod galerus hac vel illa figura fiat, &c. & hoc ens per accidens non potest esse obiectum alicuius scientiæ per se, ut patet ex dicendis postea *libris de posteriori resolutione*.

213 Aliud ens per accidens datur quod est compositum ex pluribus entibus per se completis, & de hoc potest dari scientia, ut v.g. de Republica, de domo, &c. ratio autem est, quia talia entia habent aliquas proprietates necessario illis convenientes, fundatas in principiis naturalibus, hoc est ex tali positione, vel dispositione convenit semper illis aliquod prædicatum, ut v.g. in constructio-

R. P. Ildeph. de Peñañel Theol. Schol. Tom. I.

ne domus, sequitur quod pellat frigus, calorem, &c. Ita similiter ex eo quod ex vna parte iunguntur tres homines numerando illos, sequitur numerus ternarius, & quia ex alio capite iunguntur quatuor, sequitur numerus quaternarius, & quia ternarius est inæqualis quaternario, hoc est, quod in illo non dentur tot partes, quot dantur in quaternario, & alia multa, quæ sequuntur ex positione talium unitatum, ideo ex numero composito ex illis datur scientia.

Ad quartum concedo maiorem, & nego minorem si proprie loquamur de actu, & potentia; in numero enim nulla datur proprie potentia, nec reperitur proprius actus, ac proinde non est ens per se.

Ad quintum nego antecedens, & ad illius probationem concedo maiorem, & nego minorem, & ad probationem concedo item maiorem, & nego minorem quod amplius patebit ex dicendis.

Ad confirmationem nego antecedens, quia numerus non est quantitas, sed quantitates, ac proinde non est vnum ens per se sicut corpus, ratione cuius quantitas ut sic, quæ est vna per se quantitas non potest esse genus ad continuam, & discretam.

Ad sextum respondeo concedendo proprietates quantitatis convenire suo modo quantitati discretæ, ita tamen ut veram unitatem per se realem in ea non requirant, nam extensio huius quantitatis solum est multiplicatio quædam unitatum, multiplicatio autem ut sic non requirit unitatem realem inter ea quæ multiplicantur.

Item divisibilitas huius quantitatis non est in ordine ad realem separationem eorum, quæ in re vnum erant, sed in ordine ad designationem mentis, quæ separare, & dividere potest unitates ex quibus numerum coalescere intelligebat.

Rursus æqualitas, vel inæqualitas inter numeros, ut bene notat Pater Suarez, propterea proprietates quantitatis non est vna aliqua relatio, quæ in toto vno numero inveniatur respectu alterius, sed est ipsa multitudo unitatum propterea in vno numero est maior vel minor quam in alio. Quo modo etiam acervus tritici, aut lapidum potest esse æqualis vel inæqualis alteri. Præterea quamvis numerus proprie sit finitus, tamen hæc etiam denominatio, & proprietates non requirit unitatem realem per se, sed solum definitam multitudinem unitatum. Unde aliter etiam magnitudo finita dicitur, quam multitudo, magnitudo enim est finita, quia in re ipsa clauditur extremo termino, vel vno vel pluribus: numerus autem non habet in re aliquem designatum terminum, nam partes eius habent in re ordinem, aut positionem, tamen in ordine ad mentem semper habet ultimam unitatem, qua finitur eius numeratio.

Denique, & si ratio mensuræ proprie conveniat numero, tamen illa proprietates magis est rationis quam realis, ideoque non requirit in numero veram unitatem realem per se.

Ad ultimum patet ex iam dictis ad sextum.

DVBIVM APPENDIX.

Quantitatis proprietates ponuntur.

1. **P** R I M A proprietates posita ab Aristotele est, quod quantitas non habeat contrarium, quæ proprietates uti negativa non est stricto modo proprietates.
2. Pater Suarez hac ratione probat quantitati convenire hanc proprietatem. Quia contrarietas supponit specificam differentiam, est enim oppositio eorum quæ sub eodem genere maxime distant; at vero inter quantitates quæ specie differunt non est contrarietas, quia non se expellunt ab eodem subiecto, sed potius ex natura rei necessatio debent esse coniunctæ, imo secundum rem habent talem subordinationem, ut una sit alterius principium, quæ omnia pugnant cum vera contrarietate: exemplum horum est in linea, superficie, & corpore, nam linea est principium superficiei, & superficies corporis.
3. Sed hæc ratio quia supponit lineam, superficiem, & corpus esse proprie species completas quantitatis, (cum solum corpus talis sit) quod uti falsum supra reiecit, ideo non est admitenda, nam si essent completæ species quantitatis, sine dubio una expelleret aliam sicut unum corpus non solum specie distinctum, sed etiam numero expellit aliud ab eodem subiecto, v.g. ab eadem nimirum substantia, & nihilominus unum corpus non habet propriam contrarietatem cum alio: ergo ex eo quod una entitas expellat aliam non potest attribui illi ratio contrarietatis; alias duo corpora numero distincta, aut essentialiter seu specie differentia essent contraria, & sic non solum quantitas, & qualitas, sed etiam forma substantialis esset capax contrarietatis; siquidem una forma substantialis expellit aliam ab eadem materia prima, quod est falsum; unde ex eo, quod non se expellant præcise linea, superficies, & corpus, adhuc supponendo esse species completas quantitatis, non debet probari formalissime esse incapaces contrarietatis, nam si formalissime à negatione expulsionis quomocumque recte argueretur ad negationem contrarietatis, è contra vero posset argui etiam ab expulsionem unius corporis respectu alterius, & unius formæ substantialis respectu alius corpora, & formas substantiales esse contrarias, quod ipsi adversarii negant; quia sicut negatio est causa negationis, ita affirmatio est causa affirmationis; & è contra si affirmatio non est causa affirmationis sibi proportionata, neque negatio talis affirmationis formalissime erit causa negationis, &c. sed affirmatio expulsionis in uno corpore respectu alterius, & in una albedine respectu alterius albedinis numero distinctæ; & in una forma substantiali respectu alterius, non est causa affirmationis contrarietatis in illis; ergo formalissime negatio expulsionis in linea respectu superficiei, non erit causa negationis contrarietatis inter illas: ergo ratio illa tam ex supposito, quam ex illatione adhuc concessio supposito non recte procedit: ergo alia querenda est ratio propter quam quantitas non habeat contrarietatem cum alia, etiam si expellat illam ab eodem subiecto.

Quæ assignanda est ex definitione Aristotelis, quæ sic se habet; contraria sunt quæ sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt; in qua definitione tria petit Aristoteles ad hoc ut aliqua sint contraria, unde si non omnia concurrant in aliquam entitatem, etiam si aliqua in tali entitate reperiantur, non sufficient ad constituendam illam entitatem in esse contrariæ respectu alterius, ut videre est in forma substantiali respectu alterius specie distinctæ, ubi aliquæ ex illis conditionibus concurrunt, v.g. differre specie, & expellere aliam, & nihilominus non est proprie contraria talis forma respectu alterius: prima conditio ex his, quæ requirit Aristoteles est, ut contraria specie distinguantur, nam si solo numero differant non sunt proprie contraria, etiam si se expellant ab eodem subiecto, ut videre est in una albedine ut octo respectu alterius albedinis.

Secunda conditio est, ut non solum quomocumque differant specie, aut essentialiter: sed maxime differant, & ideo ait Aristoteles quæ sub eodem genere maxime distant; maxime autem distare, aut differre significat, ut explicat Divus Thomas, tales res specie distinctas habere rationem communem oppositionis inter se, quæ consistit in quadam repugnantia, quæ reperitur inter talia opposita ratione propriarum differentiarum ut ad invicem se destruant agendo, & reagendo ad invicem, vel se expellendo ab eodem subiecto, non solum propter incapacitatem illius ad recipiendum amplius quam potest: sed etiam propter antipatiam talium formarum inter se; exemplis manifestatur hoc: nam una albedo excludit aliam numero distinctam à se, & una forma substantialis excludit aliam ab eadem materia, non propter specialem repugnantiam, & antipatiam, quæ datur in una respectu alterius: sed potius, quia una materia prima non habet capacitatem ut naturaliter recipiat duas formas substantiales simul, &c. è contra vero gradus septimus caloris non comparatur simul cum gradu septimo frigiditatis, quia subiectum non habet capacitatem ad recipiendum septimum gradum, nam capacitas subiecti est ad recipiendum octo gradus: sed quia tales gradus opponuntur inter se per strictam repugnantiam, & oppositionem, quæ nomine antipatiæ potest explicari, quæ non reperitur nisi in his, quæ participant rationem oppositionis ut sic.

Tertia conditio est ut se expellant ab eodem subiecto, connotando maximam repugnantiam, seu oppositionem inter formas eo modo quo explicuimus, & patet in oppositione privativa, aut contradictoria; nam privatio, v.g. tenebræ, aut mors, non ideo expellunt vitam, & lucem, solum, quia subiectum fit incapax illorum, ne datur superfluum, &c. ut videre est in receptione duarum albedinum eiusdem rationis: sed propter oppositionem, repugnantiam, & antipatiam, quæ reperitur inter privationem, & formam, quam nullo modo habent duæ albedines eiusdem rationis, & habent duæ qualitates contrarias.

Itaque propria, & stricta contrarietas est positiva repugnantia, oppositio, & antipatia duarum formarum absolutarum ac simpliciter talium: sed quantitates non sunt formæ inter se repugnantes, & oppositæ: ergo non sunt contrariæ, ac proinde quantitas non est capax contrarietatis, nec habet contrarium.

Dicitur

8 Dices magnum & parvum, multum & paucum sunt quantitates, & sunt contrariae: ergo.

9 Respondeo cum Aristotele negando magnum, & parvum esse quanta, sed relata; nam ea quae alicui rei non conveniunt absolute, & in se: sed comparatione ad aliud non sunt quantitates, sed relationes: atqui nulla res dicitur magna, aut parva nisi comparatione aliorum; ergo. Et ideo Aristoteles ait magnum & parvum, maius & minus, &c. non esse per se quantitates, sed affectiones quantitatis, quae omnes reducuntur ad aliam proprietatem statim declarandam de aequalitate, & inaequalitate; nam omnes praedictae relationes sub inaequalitate comprehenduntur.

10 Sed contra, quia argumentatio, & diminutio sunt motus contrarii; ergo quia tendunt ad terminos contrarios; ergo magnum, & parvum habent contrarietatem non relativam, vel quatenus relationes sunt, nam augmentatio, & diminutio non sunt motus ad relationes, sed ad quantitates; ergo parvum, & magnum quatenus terminant tales motus contrarios sunt contrariae quantitates, ac proinde quantitas habebit contrarium.

11 Respondeo augmentationem, & diminutionem non esse motus contrarios: sed oppositos privationes, in utroque enim ex his motibus duae mutationes coniunguntur, una est acquisitio alicuius quantitatis ex una parte, alia est amissio alicuius quantitatis per resolutionem, quae ex alia parte viventis fit per reactionem contrarii, & si contingat acquisitionem quantitatis fieri sine ulla deperditione, vel cum minori; tunc dicitur augmentatio, si vero accidat sola amissio quantitatis, vel cum minori reparatione dicitur diminutio; si ergo in utroque motu consideremus acquisitionem alicuius quantitatis, non sunt sibi contrarii, etiam si per unum maior, & per alium minor acquiratur. Tum quia hinc potius habetur unum esse viam ad alium, & alterum perfectionem alterius; sicut calefactio intensa, & remissitas, tum etiam, quia per se loquendo utraque acquisitio sufficeret ad augmentum, si aliunde amissio non coniungeretur: amissio autem quantitatis non opponitur contrariae acquisitioni, sed privative, sicut corruptio generationi: quia ergo diminutio non opponitur augmentationi nisi propter adiunctam amissionem maioris quantitatis, ideo ibi non est propria contraria oppositio, sed privativa sicut privative opponuntur termini magnum scilicet, & parvum; parvum enim dicitur tale, quia caret ulteriori magnitudine, quam habet magnum.

12 Secunda proprietas: Aristoteles aliam proprietatem assignavit quantitati, id est, non recipere magis, & minus, quod intelligendum est secundum intensionem, quia certissimum est secundum extensionem unam quantitatem esse maiorem quam aliam; intensive autem accipere non potest. Ratio autem huius reddi potest, quia ut dicitur intensio, necesse est ut plures partes eiusdem formae sint in eodem subiecto, vel immediate, vel per receptionem unius partis quae intenditur in alia, ut videre est in gradibus eiusdem caloris, qui omnes recipiuntur in eodem subiecto, aut immediate, eo modo quo albedo, & dulcedo recipiuntur in eadem quantitate sacchari; aut mediate, quia unus informat immediate alium ut gradus secundus primum, &c. sed plures partes quantitatis non possunt esse in eadem parte subiecti neque immediate, neque

mediate ut diximus: alias duae quantitates penetrarentur, quod est contra impenetrabilitatem, quae convenit quantitati ut proprietati.

Aliam rationem huius tribuit P. Suarez his¹³ verbis, ratio ergo reddi potest, vel ex eo quod quantitas consequitur materiam ut propria passio eius, & ideo quoad latitudinem intensivam, indivisibilem habet entitatem sicut ipsa materia, vel ex parte effectus formalis ad quem per se primo ordinatur quantitas, qui est extensio partium substantiae ad quem effectum impertinens est intensio, imo intelligi non posset quomodo circa talem effectum locum habeat. Quod optime declarant exempla Aristotelis; nam seclusa maiori extensione non potest intelligi magis, & minus inter duo quanta, ut res pedalis non potest esse magis quanta, quam alia etiam pedalis, sicut unus binarius non potest esse magis vel minus numerus quam alius binarius.

Quamvis quantitas non sit capax intensionis,¹⁴ est tamen capax condensationis, & rarefactionis quam Divus Thomas intensionem figurative, aut per tropum vocat, ex eo quod aliquomodo conveniant, nam sicut intensio qualitatum fit sine additione, vel simpliciter, ut aiunt Thomistae, vel sine additione in nova parte subiecti iuxta nostram opinionem, ita rarefactio fit sine additione novae partis quantitatis; aut solum propter qualitatem, quae raritas dicitur; aut per corpusculum, quae inter partes quantitatis introducta extendunt eandem quantitatem, ut probabilitur a multis neotericis defenditur hac tempestate, Aristoteles autem non numeravit condensari, & rarefieri inter proprietates quantitatis, quia non omnes numeravit ut patebit ex dicendis, & etiam quia esse capacem raritatis, & densitatis includit in illa proprietate, nempe quod quantitas sit susceptiva qualitatum.

Tertia proprietas, & quarta: pro maxime propria assignavit Aristoteles hanc proprietatem, scilicet aequalitatem, & inaequalitatem: ad quam intelligendam adverte aequalitatem, vel inaequalitatem duobus posse modis vsurpari, primo pro actuali, & reali relatione; secundo pro aptitudine proxima ad talem relationem; hoc posteriori modo est proprietas quantitatis, quia omnis quantitas apta est esse uni aequalem, & alteri inaequalem.

Quarta proprietas est finitam esse, vel infinitam quantitatem, quae proprietas difficilis est intellectu ratione infinitudinis, quia omnis proprietas naturaliter convenit subiecto: atqui infinitudo non potest convenire quantitati naturaliter: ergo non est proprietas vera quantitatis.

P. Suarez sic interpretatur Aristotelem. Quod¹⁷ vero ad Aristotelem attinet non intendit sensum absolutum nimirum, quod infinitum in actu possit aliquo modo quantitati convenire, sed sub conditione, seu ex hypothese loquitur si infinitum est illud ad quantitatem debere spectare; nam infiniti, inquit, ratio quantitate utitur, & hoc verissimum est, iuxta quam interpretationem dicere etiam possumus, quia non est certum quantitatem non posse esse infinitam, ideo sub distinctione proprietatem illam assignari, & intelligi quantum ad illud membrum de infinito per non repugnantiam ex vi quantitatis ut sic, ut significavit Divus Thomas, dicens infinitum non esse contra rationem magnitudinis in communi.

M m m m 3 Sed

18 Sed contra, quia vel infinitudo in actu repugnat omni creaturæ vel non; si repugnat omni creaturæ ut inquit, & docet P. Suarez: ergo etiam repugnat quantitati, seu magnitudini ut sic, quia quod repugnat superiori repugnat omni contento sub illo: ergo adhuc per non repugnantiam non est proprietas quantitatis.

19 Si non repugnat enti creato ut sic non solum non repugnat quantitati, sed etiam qualitati, quia nulla cogit ratio ad asserendum repugnare qualitati, & non quantitati, & ideo qui asserunt posse dari infinitum in actu in quantitate, similiter asserunt posse dari infinitum in qualitate, non solum intensive secundum gradus, sed etiam extensive secundum partes eorumdem graduum extensas; unde Deus posset facere calorem ut unum infinite extensum sine aliqua intensione gradus ut duo, nam albedo, calor, & reliquæ qualitates, licet non habeant partes impenetrabiles à se, sed à quantitate, nihilominus habet partes entitativas secundum quas potest in infinitum extendi; ergo in hoc casu non est maior ratio, quare infinitudo adhuc sub distinctione possit convenire quantitati solum.


20 Aliæ proprietates sunt quæ proprius, & verius ut ita dicam, conveniunt quantitati, v.g. impenetrabilitas ratione cuius una quantitas expellit aliam ab eodem loco, & hæc soli, & semper convenit naturaliter quantitati, neque potest separari naturaliter ab illa sicut non potest risibilitas separari naturaliter ab homine, licet supernaturaliter possit. Item conversim prædicatur de quantitate, & sic est verum dicere, est quantum: ergo impenetrabile; est impenetrabile; ergo quantum: ergo in omni rigore est proprietas quantitatis; unde proprietas quantitati ut est continua, v.g. corpus, quæ sola est completa, & per se quantitas convenit proprie tamquam propria passio, imo, & numero quatenus habet rationem quantitatis convenit suo modo, quia sicut una quantitas est impenetrabilis, ita ternarius quantitatum est impenetrabilis, imo punctum est impenetrabile, quia est quantitas, & sic excludit unum punctum aliud à proprio loco, ratione cuius potest componi extensum à punctis, ut diximus in physicis.

21 Aliæ proprietates solent assignari, v.g. divisibilitas physica, extensio de quibus an sint proprie passiones alij longissime disputant, videantur quibus Lectorem remitto, quia angustiis temporum coarctamur, &c.



DISPUTATIO XI.

De predicamento Qualitatis.



QVÆSTIO I.

De significationibus nominis Qualitas.

PRIMO significat hoc nomen Qualitas differentiam substantialem, & essentialem rei, quod docet Aristoteles 5. metaphysice, cap. 14. & 28. & in predicamentis, id declarat ex modo interrogandi, & respondendi, nam

interroganti quale animal sit homo? responderi solet esse rationale: huius vestigiis insitit Porphyrius, dicens differentiam prædicari in quale.

Iurisperiti etiam hac utuntur significatione ut secundum Sazinum probat textus in lege stipulatio, digestis de verborum obligationibus, quapropter qualitatem esse asserunt quæ speciem ex differentibus declarat; unde quam Vlpianus in leg. heredes, 2. §. sed & si, ff. de testam. numerorum. speciem appellat: eam Papinianus in lege qui non, 78. §. 1. ff. de heredi- bus instituendis, qualitatem seu differentiam vocat; similiter Caius in lege 74. digestis de verborum obligationibus, qualitatem demonstrari ait, cum certam speciem, aut differentiam nominamus, sive talis differentia sit specifica, sive individualis, per quam constituitur aliquid, veluti cum dicitur fundus Tusculanus, homo Stichus, ut patet ex lege sequi, cum vinum campanum optimum dicimus, ubi differentia substantialis fictione iuris nominatur illa perfectione vini campanici. Ea res, inquit Orho, facit ut ea appellatio certi significati- va sit.

Cum hac acceptione recurrit illa, qua qualitas pro tota specie sumitur, ut apud Ciceronem 1. acade, 36. ibi: sed quod ex utroque (id est ex materia, & vi) id iam corpus, & quasi qualitatem quamdam nominabant. Item lib. 2. acad. quest. earum igitur inquit, qualitatibus sunt aliæ principis, aliæ ex iis ortæ. Itaque aer, ignis, & aqua, & terra prima sunt. Ex iis autem ortæ animalium formæ earum rerum quæ gignuntur è terra, ubi principes qualitates vocat species integras elementa nimirum, aërem, ignem, aquam, & terram. Et in hac significatione dicent Iurisperiti qualitatem vini, frumenti, &c. species, seu genera vini ut in lege 21. §. sed etsi digestis, qui test. fac. cum lege 78. §. 1. ff. de heredi. instituendis lege 4. ff. de viui. leg. 75. ff. de verborum oblig.

Secundo significat nomen qualitas formam rei substantialem apud Ciceronem 1. acad. quest. 41. & cum ita moveatur illa vis, quam qualitatem esse dicimus, id est formam, & 2. de natura Deorum, illi autem quemadmodum allueverant ex corpulculis non colore, non qualitate aliqua, quam novæ græci appellant, non sensu præditis, &c. eodem modo utupat Vlpianus lege 14. de contrahenda emptione. Et apud Platonem passim hæc significatio, seu acceptio reperitur, ut in Thymæo, &c. item in Phedone, necnon & apud Aristotelem 4. metaphysice cap. 5. ubi materiam, quantitatem, formam vero qualitatem appellat; quin etiam in prædicamentis secundas substantias qualitates appellare videtur, quatenus secundæ substantiæ quælo quid significant, nimirum quia secundæ substantiæ aliquo modo comparantur ad primam per modum formæ.

Physici medici corpora concreta contemplan- tur, & tractant, qualitates primas, & secundas maxime considerant; primas vocant eas, quæ quatuor elementa prima constituunt, secundas ex his composita. Quatuor primas explicat Galenus lib. 5. de composit. medicament. & tom. 1. lib. 1. de elementis, & commentar. 1. in lib. Hippocratis de humena natura, quæ repetit idem 10. §. lib. 3. de natural. facultatibus, cap. 4. item 5. de simpli. medicam. quia primas qualitates causæ sunt, inquit, 1. de elementis om- nium entium validæ qualitates receptæ sibi simile corpus efficiunt; unde idem tom. 1. lib. de semine, scribit validas illas existima, & primas, quæ totam substantiam immutare possunt prima solas, ut idem